
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
40 G
23
ROMA


QVÆSTIONVM PHILOSOPHICARVM SYLVESTRI MAVRI SOC. IESV LIBER SECVNDVS

Continens secundam partē Logicę

Hoc est quęstiones de prædicabilibus, de prędicamentis, in libros perihermenias, priorum, & posteriorum.

Editio Secunda.

Adiectus est index rerum contentarum in his quinque libris.







Romæ, Typis Michaelis Herculis. 1670.

Superiorum permissu.

Sumptibus Federici Franzini, sub Signo Fontis, cū priuilegio Summi Pontif.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sal. Pal. Ap


I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur iterum.
Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.

CLEMENS PP. X.

AD futuram Rei Memoriam. Cum ſicut dilectus filius Federicus Franzini Romanus Bibliopola Nobis nuper exponi fecit ipſe Opera muſicalia nempe mottetta, Pſalmos, & alia à dilecto filio Nicolao Stamigna in lucem edenda, nec nō opus in plures tomos diſtinctum, cui titulus Philoſophia Silueſtri Mauri Presbyteri Societatis Ieſu cum nouis additionibus ſua impenſa typis in hac alma Vrbe noſtra mandari facere intendat; vereatur autem ne poſtquam in lucem prodierint, alij, qui ex alieno labore lucrum quęrunt eadem opera imprimi facere curent in ipſius Exponentis præiudicium. Nos eius indemnitati ne ex impreſſione huiuſmodi Aliquod diſpendium patiatur prouidere, illūq; ſpecialibus fauoribus, & gratijs, proſequi volentes, & à quibuſuis excōmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latæ, ſi quibus quomodolibet innodatus exit ad effectum præſentiū tātum conſequendum harum ſerie abſoluen. & abſolutū fore cenſentes. Supplicationibus eius nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati. Eidem Exponenti vt durāte decennio à primęua dd. operum & eorum cuiuslibet reſpectiuè impreſſione cōputando,

† 3 do,



do dũmodo tamen à dilecto filio Sac. Pal. Apostol. Magist. approbata fuerint, nemo tam in Vrbe, quam in reliquo Statu Ecclesiastico mediatè, vel immediatè Nobis subiecto opera prędicta etiam sub prętextu additionum, dinstinctionnm, alteriusue formæ, vel tituli sine speciali dicti Expotentis, aut ab eo causam habentium licentia, imprimere, aut ab alio, vel alijs impressa vendere, seu venalia habere, aut proponere possit, &; valeat opera auctoritate tamen pręsẽtiũ cõeedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea vtriusq; sexus Christifidelibus, præsertim librorum impressoribus, & Bibliopolis sub quingentorum ducatorum de Camera, & amissionis typorum omnium pro vna Cameræ nostrę Apostolicę, & pro alia eidẽ Exponenti, ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, & Iudici exequẽti irremissibiliter applican. & eo ipso absque vlla declaratione incurren. pęnis, ne dicto decẽnio durante opera tua, aut aliquã eorũ partem tàm in Vrbe, quàm in reliquo Statu Eccleliastico poterit sine licentia huiusmodi imprimere, aut ab alio, vel alijs impressa vendere, seu venalia habere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandan præterea dilectis filijs nostræ, & Apostolicę Sedis de latere Legatis, seu eorũ Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum,

tum , Terrarum, & locorum Status nostri Ecclesiastici prędicti quatenus eiusdem Exponenti seu ab eo causam habēti prædictis in pręmissis efficacis defensionis præsidio assistēte quandocumq: ab eodē Exponente fuerunt requisiti pœnas prætensas contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis ac quibusuis statutis, & consuetudinibus etiā iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis priuilegijs quoque inductis, & literis apostolicis in communi pręmissorum quemlibet concessis, confirmatis, & innouatis cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt pręsentium transumptis etiam in ipsis impressis operibus manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutę munitis eadem vbique fides adhibeatur quę præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensę. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris Die xxj. Iunij MDCLXX. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Io. Sludus.

IN-

INDEX QVAESTIONVM. LIBRI SECVNDI.

QVAESTIONES

QVAE-

QVAESTIONES

Q.53.

QVAESTIONES

In libros Perihermenias de vocum significatione, veritate, & falsitate. pag. 298

QVAESTIONES

In libros priorum, & posteriorum, de syllogismo, demonstratione, & scientia. pag. 384

Q.65.

QVAESTIONES

De Prædicabilibus.

Ordo disputandorum.

ABSOLVTIS quæstionibus de vniuersalibus in cõmuni, agendũ est de vniuersalibus in particulari, seu de prædicabilibus. Primo ergo quærimus vtrum bona sit diuisio vniuersalis in quinque prędicabilia. Secũdo vtrum conuenienter definiantur, ac diuidantur tria prædicabilia essentialia, quę sunt genus, differentia, & species. Tertio vtrum prædicabile sit genus in definitione generis, & aliorum prædicabilium. Quarto quia species prædicatur de indiuiduo, quærimus vtrum conuenienter definiatur indiuiduum. Quinto vtrum conuenienter explicetur differentia generica, specifica, vel purè numerica, in qua quęstione agimus etiam de principio indiuiduationis. Sexto vtrum omnes species sint multiplicabiles in plura numero indiuidua. Septimo vtrum omnes species constituantur per differentias positiuas, ac simplices, an verò aliquę per differentias purè negatiuas, & compositas, & etiã

 exa-

examinamus, an omnia indiuidua constituantur per indiuiduationem positiuam, an aliqua per meram negationem. Octauo demum querimus, vtrum conuenienter definiantur duo predicabilia accidentalia, que sunt accidens proprium, & accidens commune.

Vtrum conueniens sit diuisio vniuersalis in quinque prædicabilia. Quæstio XXXVI.

VIdetur non esse conueniens diuisio vniuersalis in quinque predicabilia, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens: 1. quia omittit plura predicabilia, quæ non reducuntur ad vllum ex quinque enumeratis; ergo est inconueniens. Antecedens probatur, quia ens est prædicabile de pluribus; sed ens non est genus, vt Aristoteles docet 3. metaph. tex. 10. & alibi, nec est vllum ex aliis prædicabilibus assignatis; similiter indiuiduum est prædicabile de pluribus, cum posit dici *Petrus est indiuiduum*, *Paulus est indiuiduum*; definitio etiam est predicabilis, & tamen non reducuntur ad vllum ex quinque prædicabilibus; ergo in allata

ta diuisione omittuntur quędam prędicabilia, quæ non reducuntur ad vllum ex quinque.

2. Ideo genus, & species constituunt duo prædicabilia, quia cum in ceteris cōueniant, differūt in hoc, quod genus prædicatur de pluribus specie differentibus, species prædicatur de pluribus solo numero differentibus; sed etiam differentia subalterna, & infima cum in cęteris conueniant, differunt in hoc, quod subalterna prædicatur de pluribus differentibus specie, infima de pluribus solo numero differentibus; e. g. differentia sensitiui, quę est subalterna, prędicatur de homine, & equo, qui specie differunt, at differentia rationalis, quæ est infima, prædicatur solum de Petro, & Paulo, qui differunt solo numero; ergo etiam differentia subalterna, & infima constituunt duo prædicabilia, adeoque prędicabllia sunt sex.

Respondeo, quod Aristoteles, ex eoque Porphyrius in sua introductione ad Aristotelis prędicamenta diuisit vniuersale in quinque prędicabilia, hoc est genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, quam diuisionem philosophi communiter docent esse conuenientissimam.

Conuenientia diuisionis probatur primo,

mo, quia intellectus abstrahit vniuersalia, ac deinde componit intelligibiliter cum quadam proportione ad physicam, & realem compositionem rerum materialiũ; sed in rebus materialibus sunt quinque, hoc est materia, forma, totum compositũ ex materia, & forma, proprietates consequentes essentiam compositi, & accidẽtia conuenientia compositũ, non ratione essentiæ intrinsecę, sed ratione causarum extrinsecarum agentium in materiam; ergo proportionaliter intellectus per abstractionem constituit quinque vniuersalia, genus, quod se habet vt materia; differentiam, quæ se habet vt forma; speciem, quæ se habet, vt totum compositum ex genere, & differentia; proprium, quod sequitur ex rei essentia, ac definitione; & accidens, quod conuenit ratione causarum extrinsecarum.

Secundo probatur, quia tum diuisio est conueniens, cum est apta ad finem scientiæ, quæ vtitur tali diuisione; e. g. diuisio litterarum in viginti quatuor est optima, quia est aptissima ad finem artis legendi, quę vtitur tali diuisione; sed diuisio vniuersalis in quinque prędicabilia est apta ad finem logicę, qui est docere modum componendi intelligibiliter vniuersalia vt subiectum, aut prædicatum propositionis scientificæ; ergo &c. Minor probatur, quia

quia scientiæ primo debent proponere sibi contemplandum aliquod subiectum, quod regulariter est species subalterna, vel infima; e. g. debemus nobis proponere speculandum hominem: secundo de tali subiecto debent quærere quid sit; & quia definitio explicat quid res sit per genus, & differentiam, debent quęrere genus, ac differentiam subiecti: tertio debent procedere ad inuestigandas proprietates subiecti, quę demonstrantur per essentiam, & definitionem; ergo allata diuisio est optima ad finem logicæ. Et confirmatur, quia sicut tota ars legendi consistit in combinatione viginti quatuor litterarum, ex quibus formantur variæ voces; sic tota ars sciendi consistit in combinatione quinque prædicabilium, ex qua conficiūtur variæ propositiones sciētificę; sed diuisio viginti quatuor litterarum est aptissima ad finem artis legendi; ergo diuisio quinque prædicabilium est aptissima ad finem logicæ, quę est ars sciendi.

Tertio conueniētia diuisionis probatur, quia tot sunt prædicabilia, quot sunt modi, quibus potest vnum prædicari de multis; sed tales modi sunt quinque; ergo &c. Minor probatur, quia quod est prędicabile de multis, vel est prędicabile essentialiter, vel non: si essentialiter,

vel vt tota essentia, vel non vt tota essentia; si prędicatur vt tota essentia, est species; si non vt tota essentia, vel vt pars determ inabilis, & est genus, vel vt pars determinatiua, & est differentia; si non prædicatur essentialiter, vel prędicatur, vt accidens necessariò, & conuertibiliter cnnsequens ex essentia, & est proprium; vel vt accidens non necessario, nec conuertibiliter consequens ex essentia, & est accidens quintum prædicabile; ergo bona, & adęquata est diuisio vniuersalis in quinque prædicabilia.

Debet tamen aduerti, quod ad hoc, vt diuisio sit bona, non est necessè, vt non possit aliter fieri; e. g. diuisio terræ in quatuor partes, Europam, Asiam, Africam, & Americam est optima, quia est apta ad finem geographiæ vtentis tali diuisione, licet potuisset etiam alteri fieri.

Ad 1. Nego antecedens. Ad probationem dico, quod ens non est genus proprium, & vniuocum, sed est genus analogum, quod proindè reducitur ad primum prędicabile, quod est genus. Indiuiduum vagum speciei, e. g. *hic homo*, reducitur ad speciem; indiuiduum generis, vt *hoc animal*, reducitur ad genus; indiuiduum *vt sic* est idem ac indiuiduum entis, ac proinde reducitur ad ens, quod est genus analogum. Definitio vel reducitur ad spe-

ſpeciem, vel cum conſtet ex genere, & differentia, reducitur ad aggregatum duorum prædicabilium, hoc eſt generis, & differentię.

Ad 2. Genus, & ſpecies conſtituunt duo prædicabilia, quia ſpecies prædicatur vt tota eſſentia, genus prædicatur vt pars materialis, ac determinabilis eſſentiæ. At tam differentia ſubalterna, quam infima prædicatur vt pars determinatiua eſſentiæ; ergo non conſtituunt duo prædicabilia.

Vtrum genus, ſpecies, ac differentia conuenienter definiantur, ac diuidantur. Quæſtio XXXVII.

VIdetur, quod non 1. quia ens per accidens preſertim conſtitutū ex pluribus entibus ſpecie diuerſis, definiri non poteſt definitione vna, vt Ariſtoteles docet 7. metaph. tex. 14. & alibi: & ratio eſt manifeſta, quia plurium ſpecie diuerſorum, in quantum ſpecie differunt, afferri non poteſt vnica definitio, ſed de-

bent afferri plures; e. g. hominis & albedinis, quæ sunt duo entia specie diuersa, in quantum sunt diuersa non potest afferri vnica definitio, sed debent afferri duæ, altera definiens hominem *animal rationale*, altera definiens albedinem *colorem disgregatiuum visus*; sed ens per accidens, vt *homo albus* constituitur ex pluribus entibus specie diuersis, ex homine nimirum, & albedine; ergo ens per accidens definiri non potest definitione vna; sed vniuersale, & omnia prædicabilia sunt entia per accidens constituta ex pluribus specie diuersis, ex naturis nimirum abstractis, & ex cognitione abstrahente; ergo definiri non possunt vnica definitione.

2. Vel per definitionem, qua genus definitur *prædicabile de pluribus specie differentibus in quid* definitur natura abstracta, e. g. natura animalis, vel cognitio abstractiua, vel complexum ex vtraque; nullum ex his dici potest, ergo genus definiri non potest definitione vna: eadem est ratio de cæteris prædicabilibus, & de quolibet ente per accidens; ergo nullum prædicabile definiri potest definitione vna. Probatur minor, & primo quod non definiatur natura abstracta, e. g. natura animalis: illud enim, cuius non explicatur essentia, sed explicatur solum accidens, non definitur, cum definitio debeat explicare essentiam

rei;

rei; sed per allatam definitionem non explicatur essentia naturæ animalis e. g. quæ est vt sit *viuens sensitiuum*, sed solum explicatur quoddam accidens conueniens naturæ ratione cognitionis abstrahentis, quod est *prædicabilitas de pluribus*; ergo non definitur natura. Probatur iam secunda & tertia pars minoris: illud enim non definitur, cui nõ cõuenit definitio; sed definitio non conuenit cognitioni abstractiuæ, neque complexo; non enim cognitio abstractiua est prędicabilis de pluribus, neque complexum, cum dici non possit *homo est cognitio abstractiua animalis*, vel *homo est complexum ex animali, & cognitione abstractiua*, sed solum potest dici, *homo est animal*; ergo non definitur cognitio abstractiua neque complexum.

3. Definitio debet esse per clariora; sed duo non possunt esse mutuo clariora; ergo duo non possunt definiri per se mutuo; sed genus definitur per speciem, ac dicitur esse *id, quod est prædicabile de pluribus specie differentibus*; species subijcibilis definitur per genus, ac dicitur esse *id, quod subijcitur generi, ac de quo genus prædicatur in quid*; ergo vel vtraque, vel alter utra definitio est vitiosa.

4. Pars non potest prædicari de toto; sed genus ac differentia sunt partes speciei;

:iei ; ergo non possunt prædicari de spe-
:ie, dicendo *homo est animal &c.*

5. Definitio debet conuenire omni, & 'oli definito; sed definitio speciei prædicabilis non conuenit omni, nec soli definito; ergo non est bona. Minor probatur: iam species prædicabilis definitur, *quod est prædicabile de pluribus numero differentibus in quid*; sed etiam genus est prędicabile de pluribus numero differentibus in quid, iam non solum homo, qui est species, sed etiam animal, quod est genus, prędicari potest de Petro, & Paulo solo numero differentibus; ergo &c. Prętere a definitio speciei prędicabilis non conuenit omni; iam præter species multiplicabiles, quales sunt species materiales, dantur etiam immultiplicabiles, quales ponuntur à Thomistis species angelicæ; sed species immultiplicabiles non sunt prædicabiles de pluribus solo numero differentibus; ergo definitio speciei non conuenit omnibus speciebus.

6. Definitio differentię allata à Porphyrio est, *quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quale quid*; sed differentia infima, qualis est differentia rationalis e. g. non potest prędicari de pluribus differentibus specie, sed solum de pluribus differentibus numero; ergo non conuenit differentiæ infimæ, ac proinde non est bona. Re-

Reſpondeo, quod quia tria prędicabilia eſſentialia, hoc eſt genus, ſpecies, ac differentia dicuntur relatiuè, vt docet Porphyrius, & patet ex eorum definitionibus; relatiua verò ſunt ſimul cognitione, vt Ariſtoteles docet in prędicamentis, capite de relatiuis; ideò debemus ſimul agere de genere ſpecie, ac differentia. Iam ſicut vniuerſale vt ſic poteſt ſumi metaphyſicè, & logicè, vt dictum eſt quæſt. 35. ſic genus, & cætera prędicabilia ſumi poſſunt in vtraque acceptione. Genus igitur metaphyſicè ſumptum definiri poteſt *vnum aptum eſſe in multis ſpecie differentibus tanquam pars eſſentiæ materialis, ac determinabilis per aliam compartem*; genus logicè ſumptum definitur ex Porphyrio capite ſecundo *vnũ prædicabile de pluribus ſpecie differentibus in quid*, hoc eſt tanquam pars eſſentiæ materialis, ac determinabilis per aliam compartem. Animal e. g. eſt genus metaphyſicum ſimul, & logicum; eſt enim vnum per cognitionem confuſam; eſt prædicabile de pluribus animalibus ſpecie differentibus, nimirum de homine, leone, equo &c; eſt prędicabile in quid, ſiue eſſentialiter, nam eſſe animal eſt de eſſentia hominis, leonis, equi &c; eſt prædicabile non tanquam tota eſſentia, ſed tanquam pars eſſentiæ; neque enim

tota hominis essentia, ac definitio est, vt sit animal, sed etiam vt sit rationalis; demum est prędicabile tanquam pars essentiæ materialis, ac determinabilis per aliam compartem; sicut enim in statua marmorea datur marmor, & figura, ita tamē vt marmor sit materia determinabilis ad esse statuæ per figuram, & figura sit forma determinatiua marmoris ad esse statuæ; sic in homine datur animal, & rationale, ita tamen, vt saltem per nostrum modum concipiendi animal sit veluti materia determinabilis ad esse hominis per rationale; & rationale sit veluti forma determinatiua animalis ad hoc, vt sit homo. Si verò quæratur, quo pacto in definitione Porphyrii, per quā genus dicitur *quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid*, contineatur explicatio, qua dicimus genus esse prędicabile tanquam partem essentiæ determinabilem; respondeo quod prædicari *in quid* idem significat, ac prædicari essentialiter; sed prędicari de differentibus specie est prędicari de differentibus in parte essentię; cum hoc ipsum sit differre specie; ergo prædicari *in quid* de differentibus specie, est prędicari tanquam partem essentiæ non est prędicari tanquam partem determinatiuam; quod enim prædicatur tanquam

pars

pars determinatiua non prędicatur in *quid*, ſed in *quale quid*, vt dicetur paulo poſt; ergo prædicari in *quid* de differentibus ſpecie eſt idem, ac prædicari tanquam partem eſſentiæ determinabilem.

Species conſiderari poteſt metaphyſicè, & logicè. Si conſideretur metaphyſicè definiri poteſt *eſſentia formata, & ab indiuiduatione abſtracta, in qua ineſt genus tanquam pars materialis, ac determinabilis per differentiam*. Si conſideretur logicè definitur ex Porphyrio. *cap. 3., quæ ita ſubijcitur generi, vt de ea genus prędicetur in quid*, tanquam pars eſſentiæ determinabilis; in qua definitione, vt patet, definitur ſpecies ſubiicibilis. Species prædicabilis definitur ab eodem Porphyrio, *quod eſt prædicabile de pluribus ſolo numero differentibus in quid*; & quia eo ipſo, quod prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus, prædicatur vt tota eſſentia, cum differentia numerica non ſit eſſentialis, ideò ad maiorem claritatem, addenda eſt particula *vt tota eſſentia*, per quam ſpecies differt à genere, & differentia, quandoquidem tum genus, tum differentia prædicatur vt pars eſſentiæ.

Differentia ſi metaphyſicè conſideretur definiri poteſt, quod *conſtituit ſpeciē,*

& di-

& diuidit genus tanquā pars essentialis, formalis, ac determinatiua; e. g. rationale est differentia, quæ constituit speciem hominis; homo enim est animal rationale; & diuidit genus animalis; nam animal diuiditur in rationale, & irrationale. Differentia logicè considerata definiri potest quod est *prædicabile de specie, & omnibus eius indiuiduis, tanquam pars essentialis formalis, ac determinatiua*. Porphyrius definiuit differentiam vniuersalem, & prędicabilem, *quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quale quid*, hoc est vt pars essentialis, ac determinatiua. Hæc definitio conuenit soli differentiæ subalternę, non autem infimæ, quia Porphyrius putauit non dari differentiam infimam simplicem, vt dicetur in responsione ad sextum. Differentia igitur vt comprehendat etiam infimam definiri debet, *quod est predicabile de pluribus specie, vel numero differentibus in quale quid*.

Diuiditur primo genus in supremum, seu generalissimnm, subalternum, seu medium, & infimum. Supremum seu generalissimum est *quod non habet supra se aliud genus saltem vniuocum*, vt substantia, & cætera prędicamenta, quæ non habent supra se genus vniuocum; nam ens, quod est supra decem prędicamenta,

ta, & accidens, quod est supra noue prædicamenta accidentiũ non sunt vn uoca, vt dicetur in quæstione 45. de prędicamentis. Si verò quęratur s premum genus analogum, dico, quod e *intelligibile*: nihil enim omninò pote esse vniuersalius intelligibili. Gen subalternum seu medium est, *quod habet supra se genus, & etiam sub se*, viuens: habet enim supra se genus sul stantię, & habet sub se genus animali Genus infimum est, *quod non habet sub vllum genus*, cuius exemplum difficil assignatur. Animal enim fortasse habe sub se plura genera, vt genus piscis auis, &c, quæ dicuntur de pluribus pi scibus, & auibus specie diuersis. Cer tum tamen est dari genus infimum, cu non procedatur in infinitum in generi bus, neque sursum, ita vt omne genu habeat aliud genus supra se, neque deor sum, ita vt omne genus habeat sub se aliud genus.

Proportionaliter species, ac dif ferentia diuiduntur in subalternam, & infimam. Species infima, quę vocatu specialissima est, *quæ ita subijcitur generi, vt non habeat sub se alias species, vel alia indiuidua specie diuersa*, vt homo; ita enim est species animalis, vt non possit prædicari de pluribus hominibus specie di-

diuersis. Species subalterna est, *quæ ita subijcitur generi, vt habeat sub se plures species, & plura indiuidua specie diuersa*, vt animal; ita enim est species viuentis, vt habeat sub se plura animalia specie diuersa, nimirum hominem, leonem, &c. Differentia infima est, *quæ non potest inesse in pluribus specie diuersis*, vt rationale, quod non potest dici de pluribus rationalibus specie diuersis. Differentia subalterna est, *quæ potest inesse pluribus specie diuersis*, vt sensitiuum; dicitur enim de pluribus sensitiuis specie diuersis, de homine, leone &c. Debet autem aduerti, quod species subalterna est simul genus, & species, sed respectu diuersorum. Respectu generis, cui subiicitur, est species; respectu specierum inferiorum, de quibus prędicatur, est genus: e. g. animal est species viuentis, sed est genus hominis, & leonis. Ideò species subalterna est species purè subiicibilis, in quantum subiicitur generi: at vt prędicabilis de inferioribus non est species, sed genus, cum non prędicetur vt tota essentia. Sola species specialissima est species, & vt subiicibilis, & vt prædicabilis, si tamen sit multiplicibilis, vt iam dicetur, quia sola prędicatur tanquam tota essentia.

Secundo diuiditur species specialissima

ma in multiplicabilem, & immultiplicabilem. Multiplicabilis eſt, quę poteſt ineſſe pluribus ſolo numero differẽtibus, vt homo; dantur enim plures homines ſolo numero differentes. Immultiplicabilis eſt, quę non poteſt ineſſe pluribus ſolo numero differentibus, vt ſpecies angelorum ſecũdum Thomiſtas. Neque enim iuxta doctrinam ipſorum poſſunt dari plures angeli eiuſdem ſpeciei, & omninò ſimiles in eſſentia, vt dicetur quæſt. 41. Proportionaliter differẽtia infima diuidi poteſt in multiplicabilem, & immultiplicabilem. Sola ſpecies ſpecialiſſima multiplicabilis conſtituit ſecundum prædicabile, quia ſola prædicatur de pluribus differentibus ſolo numero vt tota eſſentia. Species immultiplicabilis eſt ſolum ſubiicibilis, in quantum ſubiicitur generi, ſed eſt prædicabilis de vno tantum, non verò de pluribus.

Ad 1. In argumento tangitur quęſtio partim metaphyſica, partim logica, vtrũ, & quomodo poſſit definiri ens per accidens. Dicendum ex doctrina Ariſtotelis 7. metaphyſicæ t. 14. & ſequentibus, quod res eo pacto, quo ſunt entia, habent eſſentiam, & proportionaliter ac habent eſſentiam, habent definitionem. Subſtantię completę, vt homo, equus, ſunt

ſunt entia ſimpliciter, ideoque habent eſſentiam, ac definitionem ſimpliciter. Accidentia ſunt entia ſolum ſecundum quid, ac non tam ſunt entia, quam entis ens, quia non tam ſunt, quam iis ſubſtantiæ taliter ſunt, ideoque non tam habent eſſentiam, qua ſint, quam per quã taliter ſubſtantię ſint, & proportionaliter habent definitionem explicantem, non tam quid ſint, quam qualiter per ea ſubſtantię ſint: e. g. definitio cognitionis explicat qualiter ſubſtantia cognoſcitiua redditur cognoſcens per cognitionem, atque idem dic de definitione aliorum accidentium. Hæ definitiones accidentium, in quibus explicatur qualiter ſubiectum ſit per accidentia, vocãtur definitiones per additamentum, quia pręter eſſentiam accidentis ponitur in ipſis ſubiectum; e. g. definitio, qua accidens definitur *ens in alio* eſt per additamentum, quia pręter accidens ponitur in ea illud *aliud*, quod eſt ſubiectũ accidentis. E conuersò definitio, qua ſubſtantia definitur *ens per ſe*, eſt definitio abſoluta, & ſine vllo omninò additamento quia nihil in ea ponitur, niſi eſſentia ſubſtantię.

Ex ſubſtantia vt ſubiecto, & accidente vt forma intrinſecè, vel extrinſecè afficiente fit compoſitum, ſeu concretum

acci-

accidentale: e. g. ex homine, & musica fit musicus, ex natura, & cognitione vniuersalizante fit vniuersale; ex natura, & cognitione genereizante fit genus. Concreta accidentalia propriè nō significant quid res sit, sed solum qualiter subiectum sit per formam; e. g. musicus non significat quid sit ille, qui denominatur musicus, sed qualiter afficitur per musicam, ideoque proportionaliter definitio concreti accidentalis non tam explicat, quid res sit, quam qualiter subiectum est per formam; e. g. definitio, qua album definitur *disgregatiuū visus*, explicat qualiter subiectum per albedinem constituitur aptum ad disgregandum visum; per definitionem generis non tam explicatur quid sit subiectum, quod constituitur genus, quam qualiter per cognitionem tale subiectum constituitur prædicabile in quid de pluribus specie differentibus.

Hinc ad argumentum in forma, distinguo maiorem; ens per accidens definiri non potest definitione propria, & per se vna, explicante quid per se sint ex quibus componitur, concedo maiorem; definitione proportionali explicāte illud esse per accidens, quod vna pars habet ab alia, nego maiorem; concedo minorem, quod prædicabilia sint entia

per

per accidens;& distinguo consequẽs;ergo non possunt definiri vnica definitione propria explicante quid sit natura, & cognitio abstractiua , concedo consequentiam ; definitione minus propria explicante quale esse per accidens natura recipiat à cognitione abstractiua , nego consequentiam . Homo albus definiri non potest vnica definitione explicante quid per se sit homo , & quid albedo, sed definiri potest definitione minus propria , & proportionali explicante illud esse accidentale , quod homo accipit ab albedine . Sic genus definitur definitione explicante illud esse prædicabilis , quod natura accipit à cognitione genereizante .

Ad 2. Tangitur in argumento alia quæstio , vtrum in definitione concreti accidentalis , e. g. albi , prędicabilis , generis &c, definiatur solum subiectum, vel sola forma , vel complexum . Dico quod definitur complexum , ita tamen , vt sicut concretum principalius significat formam , quam subiectum , sic principalius definiatur forma , quam subiectum . Probatur , quia cum definitur genus e. g. non definitur id solum , quod secundum se sumptum non est genus , sicut cũ definitur albũ nõ definitur id solum , quod per se sumptum non est album ,

bũ, idẽque dic de cæteris concretis accidentalibus; ſed ſolum ſubiectum præſcindendo à forma, & ſola forma præſcindendo à ſubiecto, non eſt ipſum genus, neque eſt ipſum album; e. g. ſubiectum, in quo eſt albedo, præſcindendo ab albedine, non eſt album, ſed conſtituitur album per albedinem; albedo nõ eſt alba, ſed conſtituit album ſubiectum; ſimiliter natura per ſe non eſt vniuerſalis, neque genus, ſed conſtituitur vniuerſalis & genus, per cognitionem abſtractiuam; cognitio abſtractiua non eſt genus, ſed tribuit naturæ denominationem generis; ergo nec definitur ſolum ſubiectum, nec ſola forma, ſed cõcretum ipſum, hoc eſt ſubiectum vt denominatum à forma; e. g. in definitione generis definitur natura in quantum per cognitionem genereizãtem conſtituitur genus.

Ad argumentum probans non definiri complexum ex eo, quod definitio generis non conueniat complexo, diſtinguo; non conuenit complexo importãti in recto naturam, & cognitionem, concedo; non conuenit complexo importanti naturam vt denominatam à cognitione, nego. Natura, & cognitio non eſt prædicabilis, ſed natura vt denominata à cognitione eſt prædicabilis de plu-



de pluribus, ita vt constituatur prædicabilis per ipsam cognitionem; natura verò vt denominata à cognitione est complexum, & concretum. Licet igitur dici non possit *homo est animal, & cognitio*, adhuc potest dici *homo est animal, quod animal constituitur prædicabile per cognitionem*; ergo prędicabile vt prædicabile non est animal præcisè, sed est animal prout denominatum à cognitione, licet solum animal sit materialiter prædicabile de pluribus animalibus specie diuersis. Addidi, quod definitio concreti principalius definit formam, quam subiectum. Ratio est, quia illud principalius definitur, cuius magis explicatur essentia; sed magis explicatur essentia formæ, quam subiecti; ergo &c. Minor probatur: nam subiectum definitur in quantū accipit denominationem à forma; e. g definitur natura in quantum accipit à cognitione denominationem generis; forma verò definitur in quantum dat denominationem subiecto; sed magis spectat ad essentiam formæ dare denominationem subiecto, cum forma per suum esse ad hoc ordinetur, e. g. albedo ordinatur ad constituendum album, quam spectet ad essentiam subiecti accipere denominationem à forma: neque enim spectat ad essentiam naturæ, quod à co-

gni-

gnitione constituatur prædicabilis , sed hoc est accidens extrinsecum naturæ; ergo magis explicatur essentia formæ, quam subiecti. Ex eadem ratione concretum principalius significat formam, quam subiectum , quia illud significatur principalius , cuius magis exprimitur essentia.

Ad 3. Concedo totum primum argumentum , & distinguo subsumptum ; genus definitur per speciem sumptam in eo sensu , in quo species definitur per genus , nego subsumptum ; sumptam in diuerso sensu, concedo ; & nego consequentiam. Cum genus definitur *quod est prædicabile de pluribus differentibus specie, lÿ differentibus* significat *dissimilibus essentialiter* , eo pacto , quo homo, equus sunt essentialiter dissimiles. Quid verò sit esse dissimile in essentia , est satis clarum. Dum verò species definitur *id , quod subÿcitur generi*, non significat *dissimile essentialiter* , sed solam naturam , de qua genus prædicatur in quid.

Ad 4. Distinguo maiorem ; pars non potest prædicari de toto in abstracto , concedo maiorem ; in concreto , nego maiorem ; transeat minor; & nego consequentiam. Pars in abstracto non potest prædicari de toto , potest in concreto ; e. g. non potest dici *homo est anima* , at

at dici poteſt *homo eſt animatus*. Genus, ac differentia dicunt partes metaphyſicas eſſentiæ non in abſtracto, ſed in concreto: animal enim eſt, quod habet naturam ſenſitiuam, quæ ſe habet vt materia ad naturam intellectiuam, quam ſignificat rationale. Addo, quod cum animalitas ſit idem realiter cum toto homine, poteſt etiam in abſtracto dici *homo eſt animalitas*; idemque dic de rationalitate, licet hæ prædicationes non ſint formales, quia in ſenſu formali pars etiam metaphyſica non poteſt prædicari de toto.

Ad 5. Definitio ſpeciei prædicabilis nõ conuenit generi, quia ſubintelligitur particula vt *tota eſſentia*. In definitione ſpeciei prædicabilis definiuntur ſolæ ſpecies multiplicabiles, ſpecies verò immultiplicabiles ſunt ſolum ſubiicibiles.

Ad 6. Porphyrius putauit cum Platonicis non dari differentiam infimam, ſed ſolum ſubalternam, ideoque illam ſolam definiuit, & in hoc errauit. Vt corrigatur error, debet à definitione auferri particula *illa differentibus ſpecie*.

Vtrum

Vtrum prædicabile sit genus in definitione generis. Quæstio XXXVIII.

VIdetur vera sentẽtia Laurentii Vallæ, quod prædicabile non sit genus in definitione generis 1. quia si prædicabile esset genus generis, esset superius, & vniuersalius genere: nam omne genus est superius, & vniuersalius respectu eius, respectu cuius est genus; sed prædicabile est genus generis; ergo est superius, & vniuersalius genere; sed prædicabile est vnum ex generibus; ergo prædicabile est superius, & vniuersalius se ipso, quod implicat: & quia idem argumentum valet de quocumque, quod asseratur esse genus generis, concludit Valla non dari genus generis, adeoque genus non posse definiri, cum definitio constare debeat ex genere, & differentia.

2. Sequeretur, quod prædicabile esset inferius, & minus vniuersale se ipso: genus enim est quid inferius, & minus vniuersale prędicabili *vt sic*, quod est genus generis; sed prædicabile est genus; ergo prædicabile est quid inferius se ipso. *Tomo II.* B 3. Se-

3. Sequitur, quod prædicabile in eadem acceptione esset simul superius, & inferius, vniuersalius, & minus vniuersale respectu generis. Nam prędicabile in quantum est genus generis est superius, & vniuersalius genere; sed prędicabile in quantum est genus generis est vnum determinatum, & indiuiduum genus; est enim genus vnius determinatę, atque indiuiduæ definitionis, & in quantum est vnum genus est inferius, ac minus vniuersale genere *vt sic*, eo pacto, quo vnus homo est inferior homine vt sic; ergo prædicabile in quantum est genus generis est simul superius, & inferius genere vt sic.

4. Si prędicabile esset genus generis, genus esset species prędicabilis; sed genus non potest esse species prædicabilis; genus enim est primum prædicabile, species est secundum prædicabile, primum verò prædicabile non potest esse secundum; ergo prædicabile non est genus generis.

Respondeo manifestum esse, quod prædicabile est genus, in quo saltem analogicè conueniunt omnia quinque prædicabilia. Sicut enim omnia animalia conueniunt in hoc, quod sunt animal, differunt verò, quia homo est animal racionale, equus est animal hinnibile;

le; sic omnia prædicabilia, hoc est genus &c. conueniunt in hoc, quod sunt prædicabile de pluribus, differunt verò per diuersos modos prędicandi explicatos quęst. 36; ergo sicut animal est genns, in quo conueniunt omnia animalia, sic prędicabile est genus, in quo conueniunt omnia prędicabilia. Et quia vt Aristoteles docet, debilitas mentis est deserere veritates manifestas, quia soluere nescias apparentes rationes in cõtrarium, ideo reiicienda omnino est opinio Vallę, qui negauit prædicabile esse genus generis solum, quia soluere non potuit sophismata proposita in rationibus dubitandi.

Vt soluam argumenta contraria, noto quod potest idem à diuersis cognitionibus habere denominationes diuersas, atque apparenter oppositas: e. g. potest homo cognosci per duas cognitiones, alteram definitiuam, & clariorem, qua dicatur *animal rationale*, alteram non definitiuam, & obscuriorem, qua dicatur *homo*: et si hoc contingat, homo à cognitione definitiua denominatur cognitus clarius se ipso prout cognito per cognitionem non definitiuam; à cognitione verò non definitiua denominatur cognitus obscurius se ipso prout cognito per cognitionem definitiuã. Possunt

etiam duo, vt homo, & equus à diuersis cognitionibus denominari cognita mutuo clarius, & obscurius; e. g. homo à cognitione definitiua, qua cognoscitur vt animal rationale, denominatur cognitus clarius equo vt cognito cognitione describente equum per proprietatem, ac dicente *animal hinnibile*: equus è conuersò à cognitione, qua cognoscitur vt animal hinnibile, denominatur cognitus clarius homine vt cognito per cognitionem, qua dicitur *homo*. In casu nostro non repugnat, quod duo per diuersas abstractiones denominentur mutuò superiora, & inferiora, neque quod idem denominetur superius, & inferius se ipso prout denominato per aliam abstractionem. Accidit igitur, vt à genere, & aliis prædicabilibus abstrahatur ratio prędicabilis, in qua conueniunt omnia prędicabilia, & prędicabile prout denominatum à tali abstractione est superius, & vniuersalius genere, & aliis quinque prędicabilibus, à quibus abstrahitur, & ab eadem abstractione genus constituitur inferius prædicabili, eo pacto, quo animal ab abstractione, per quam abstrahitur ab homine, equo, & cæteris animalibus, constituitur superius homine, & equo, & cęteris animalibus, quæ per eamdem ab-

abſtractionem conſtituuntur inferiora animali. Accidit rurſus, vt à prædicabili, quod eſt genus generis, & ab aliis generibus abſtrahatur ratio generis, & ab hac abſtractione genus denominatur ſuperius, & vniuerſalius prædicabili, prædicabile denominatur inferius genere, & etiam ſe ipſo in quantum denominatur à priori abſtractione. Hinc ad argumenta in forma;

Ad 1. Diſtinguo maiorem; ſi prædicabile eſſet genus generis, eſſet ſuperius genere prout denominato ab abſtractione, per quam prædicabile abſtrahitur à genere, & à cæteris prædicabilibus, concedo maiorem; prout denominato ab abſtractione, per quam genus abſtrahitur à prædicabili, & ab aliis generibus, nego maiorem; concedo minorem; & diſtinguo eodem pacto primum, & vltimum conſequens; ergo prædicabile eſt ſuperius ſe ipſo prout denominato ab eadem abſtractione, nego conſequentiã; eſt ſuperius ſe ipſo, prout denominato à diuerſa abſtractione, concedo conſequentiam. Prędicabile, & genus prout denominata à diuerſis abſtractionibus ſunt mutuò ſuperiora, & inferiora. Prędicabile enim prout denominatur ab abſtractione, qua abſtrahitur à genere, & aliis prędicabilibus eſt, ſuperius ge-

genere; prędicabile prout denominatur ab abſtractione, per quam ab ipſo abſtrahitur ratio generis, eſt inferius genere; idemque dic proportionaliter de genere. Rurſus prædicabile prout denominatur ab abſtractione, per quam abſtrahitur à quinque prædicabilibus, eſt ſuperius ſe ipſo vt denominato ab abſtractione, per quam genus abſtrahitur à prædicabili, & aliis generibus.

Ad 2. Reſpondeo per eamdem diſtinctionem, & doctrinam.

Ad 3. Diſtinguo ſequelam: ſequitur quod prædicabile in eadem acceptione, hoc eſt prout denominatum ab eadem abſtractione eſſet ſuperius, & inferius genere, nego; in eadem acceptione quoad alia, ſed non prout denominatum ab eadem abſtractione, concedo ſequelam. Idem prædicabile prout denominatum ab abſtractione, qua abſtrahitur à genere, & à cæteris prædicabilibus, eſt ſuperius genere, & idem prout denominatum ab abſtractione, per quam à prædicabili, & à cæteris generibus abſtrahitur ratio generis, eſt inferius genere, neque hoc eſt magis abſurdum, quam, quod idem homo prout denominatus à diuerſis cognitionibus cognoſcatur clarius, & obſcurius equo, & etiam ſe ipſo.

Ad 4. Concedo maiorem, quod genus ſit ſpecies prædicabilis; & diſtinguo minorem; genus non poteſt eſſe ſpecies prędicabilis, prout denominatur ab abſtractione, per quam abſtrahitur ab omnibus generibus, concedo minorem; prout denominatur ab abſtractione, per quam prædicabile abſtrahitur à genere, & à cæteris prędicabilibus, nego minorem; & nego conſequentiam. Quod ſit genus per vnam abſtractionem, per quā ipſum abſtrahitur ab aliis, poteſt fieri ſpecies ſubiicibilis per aliam abſtractionem, per quam aliud abſtrahitur ab ipſo; e. g. animal conſtituitur genus per abſtractionem, per quam abſtrahitur ab homine, leone, & aliis animalibus ſpecie diuerſis; & idem animal conſtituitur ſpecies ſubiicibilis viuentis per abſtractionem, per quam viuens abſtrahitur ab animalibus, & plantis. In caſu noſtro genus conſtituitur primum prędicabile, ſeu ratio communis omnibus generibus per abſtractionem ab omnibus generibus; per abſtractionem verò, per quam prędicabile abſtrahitur ab ipſo genere, & à cæteris prædicabilibus, conſtituitur ſpecies prędicabilis, & quinque prędicabilia ſunt quinque ſpecies prędicabilis differentes inter ſe per hoc, quod explicant diuerſum modum prædicabilita-

litatis de inferioribus, vt dictum est q. 36.

Vtrum Indiuiduum conuenienter definiatur. Quæstio XXXIX.

PRimò videtur, quod non sit conueniens definitio, qua indiuiduum metaphysicè consideratum definitur à Porphyrio, *quod ex proprietatibus consistit, quarum aggregatum in nullo alio fiet*. Definitio enim, quę potest saltem supernaturaliter non conuenire definito, non est bona; e. g. si homo posset saltem supernaturaliter non esse animal rationale, non benè definiretur *animal rationale*; sed allata definitio, potest saltem supernaturaliter non conuenire indiuiduo; ergo non est bona. Probatur minor: posset enim Deus producere duos homines omninò similes, & omnino conuenientes in omnibus proprietatibus, etiam in loco, ita vt penetrarentur; sed tum vterque esset indiuiduum, & de neutro verificaretur, quod haberet aggregatum proprietatum, quod non esset in alio; ergo &c.

2. Si bona esset definitio, qua indiui-

duum dicitur, *quod ex proprietatibus consistit* &c. maximè quia definit indiuiduū prout à nobis est cognoscibile cognitione propria; sed indiuiduum à nobis est cognoscibile cognitione propria, & non per proprietates, quarum aggregatum, &c; ergo. Minor probatur: nam ego cognosco meipsum cognitione propria, etiamsi nihil cogitem de mea figura, de mea stirpe &c; ergo indiuiduum est cognoscibile cognitione propria, etiam, præscindendo à proprietatibus.

3. Videtur, quod nec bona sit definitio, qua indiuiduum logicè consideratum definitur à Porphyrio *indiuiduum, est quod de vno solum prædicari potest*. Vel enim definitur indiuiduum vagum, vel indiuiduum determinatum, e. g. *Petrus*; si indiuiduum vagum, definitio est falsa, nam indiuiduum vagum potest prædicari de pluribus, dicendo *Petrus est indiuiduum, Paulus est indiuiduum*; si indiuiduum determinatum, adhuc definitio est falsa, nam indiuiduum determinatum, e. g. *Petrus* de nullo potest prædicari, nisi prędicatione identica, qua dicatur e. g. *Petrus est Petrus*. Et confirmatur, nam Aristoteles in Prædicamentis definit substantiam primam, hoc est indiuiduum, *quod neque in subiecto est, neque dicitur de subiecto*; sed quod potest de

vno' prædicari poteſt di i de ſubiecto ; ergo indiuiduum non poteſt de vllo prædicari.

4. Indiuiduum definitur, quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio ; ſed hæc definitio non eſt conuertibilis cum vlla ex allatis definitionibus ; ergo vel per hanc, vel per illas inconuenienter definitur indiuiduum.

5. In allatis definitionibus definitur ſingulare abſtractum ab hoc, & illo ſingulari ; ſed quod eſt abſtractum à ſingularibus eſt vniuerſale ; ergo in definitionibus allatis definitur vniuerſale ; ſed indiuiduum non eſt vniuerſale ; ergo in definitionibus allatis non definitur indiuiduum.

Reſpondeo, quod poſtquam actum eſt de genere, differentia, ac ſpecie, diſputandum eſt de indiuiduo, quod eſt correlatiuum ſpeciei. Indiuiduum metaphyſicè ſumptum definitur à Porphyrio, *quod ex proprietatibus conſiſtit, quarum aggregatum in nullo alio fiet.* Tales autem proprietates comprehenduntur eo verſu.

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen,
Patria, Tempus,

Nunquam enim continget, vt collectio ſimilium omninò proprietatum inueniatur in duobus indiuiduis; e. g. non reperien-

rientur duo homines, qui habeant similem omninò formam, ac figuram, sint in eodem loco, ex eadem stirpe, ex iisdem parentibus, ex eadem patria, & eodẽ tempore. Quamuis enim conueniant in cæteris accidentibus, saltem erunt in loco diuerso, cum penetrari non possint inter se. Hęc definitio explicat indiuiduum, in quantum cognoscitur à nobis cognitione propria. Ego enim eatenus solum habeo cognitionem propriam Petri e. g, in quantum cognosco illum per proprietates, quarum aggregatum illi soli conuenit, dicendo *homo talis figuræ, talis nominis* &c: & quia per accidens est, vt collectio talium proprietatum cõueniat huic homini, cum potuisset illi non conuenire, ideò cognosco hunc hominem cognitione propria solum per accidens, vt dictum est quæst. 26. Quia tamen vt opponebatur in primo argumento, fortasse posset supernaturaliter accidere, vt collectio similium omninò proprietatum simul esset in diuersis indiuiduis, e. g. quod duo homines non solum conuenirent in aliis accidentibus, sed etiam penetrarentur inuicem, ideò vt allata definitio conueniat indiuiduo necessariò, & ita vt ne supernaturaliter quidem possit non conuenire, subintelligi debet particula *naturaliter*, ita vt

ſenſus ſit, *indiuiduum eſt, quod ex proprietatibus conſiſtit, quarum aggregatum nunquam in alio naturaliter fiet.*

Indiuiduum ſecundum ſe, & non ſolum in quantum eſt à nobis cognoſcibile definiri poteſt, *quod non poteſt inexiſtere in pluribus, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum.* Cum enim ſingulare opponatur vniuerſali, debet habere conditiones oppoſitas. Sicut igitur vniuerſale eſt *vnum, quod poteſt inexiſtere in pluribus, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum*, ſic indiuiduum, ſeu ſingulare eſt, *quod non poteſt inexiſtere in pluribus, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum.* Illa particula *in quibus multiplicetur*, addita eſt ad includendam naturam diuinam in definitione ſingularis, & excludendam à definitione vniuerſalis. Licet enim natura diuina poſſit eſſe in pluribus perſonis, quarum quælibet eſt ipſa natura, & cum illa identificatur, tamen non ita eſt in pluribus perſonis, vt multiplicetur ipſa natura, & idcircò non eſt vniuerſalis, ſed ſingularis, & indiuidua. E conuersò perſona diuina *vt ſic* eſt vniuerſalis per intellectum, quia poteſt eſſe in pluribus perſonis, in quibus multiplicatur perſona.

Indiuiduum logicè conſideratum defini-

finitur à Porphyrio, *quod de vno tantum prædicari potest*. Hæc definitio si explicetur negatiuè, ita vt sensus sit *indiuiduum est, quod non potest prædicari de pluribus*, nullam habet difficultatem. Sed quia affirmat etiam, quod indiuiduum prædicatur de vno, oritur difficultas proposita in tertio argumento, quod ne de vno quidem potest prędicari, nisi prędicatione identica. Ideò Auerroes primo priorum docuit definiri solum indiuiduum accidentale, quod potest prędicari de indiuiduo substantiali prędicatione non identica, dicendo e. g. *Petrus est ille musicus, quem audio cantantem*. Adhuc tamen dicendum cum sententia communiori, quod definitur etiã indiuiduum substantiale. Omne enim indiuiduum habet hoc, vt possit de se ipso prędicari prædicatione saltem idẽtica; ergo potuit benè per hanc proprietatem describi à Porphyrio. Habet etiam, vt non possit dici de se ipso, nisi prædicatione identica; ergo potuit conuenienter ab Aristotele describi per hanc proprietatem, vt de nullo dicatur, nisi prædicatione identica; ergo Aristoteles, & Porphyrius sibi non contradicunt, sed alter describit indiuiduum per vnam proprietatem, quam habet, vt possit de vno solum prædicari prędicatione

tione saltem identica; alter per aliam proprietatem, vt de nullo possit prędicari, nisi prædicatione identica.

Indiuiduum simpliciter, hoc est indiuiduum substantiale completum definitur ex S. Thoma, *quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*. Sicut enim sola substantia completa, vt *Petrus, Paulus, hęc arbor &c.* est ens simpliciter, siue *hoc aliquid*, partes verò substantiarum, vt materia, forma, manus, brachium; & accidentia, vt albedo, cognitio &c. non tam sunt simpliciter entia, quam partes entium, & entis entia: sic solum indiuiduum substantiæ completę est simpliciter indiuiduum; indiuidua verò partium, & accidentium, e. g. *meum caput, mea manus, mea cognitio*, non sunt simpliciter indiuidua, sed partes indiuiduę, & accidentia indiuidua. Indiuiduum ergo simpliciter definitur allata definitione, in qua exprimuntur duę conditiones. Prima est, vt sit indiuisum in se, hoc est vt non constet ex partibus facientibus vnum solum extrinsecè, vel per accidens. Ideo homo vt sic non est indiuiduum, quia dicit plures homines diuisos in se, ac facientes vnum solum ratione cognitionis extrinsecè vniuersalizantis. Ex eadem ratione populus, exercitus &c. non sunt indiuiduum simpliciter

ter.. Secunda conditio eſt, vt ſit diuisum ſaltem potentia à quolibet alio ente ſimpliciter. Ideò quod debet eſſe in alio ente ſimpliciter tanquam pars, vel accidens, non eſt ſimpliciter indiuiduum; e. g. mea anima non eſt ſimpliciter indiuiduum, quia debet eſſe in me tanquam pars: ſimiliter manus, pes, &c. ac multò magis accidentia non ſunt ſimpliciter indiuidua, vt melius explicabitur, cum agetur de ſuppoſito quęſt. 13. phyſ.

Ad 1. 3, & 4. patet ex dictis. Definitio enim, qua indiuiduum definitur, *quod habet proprietates, quarum aggregatum nunquam in alio fiet*, ſubintellecta particula *naturaliter* conuenit indiuiduo eſſentialiter, & ita, vt non poſſit non conuenire. Definitio, qua indiuiduum definitur, *quod poteſt prædicari de vno tantum*, non ſupponit pro indiuiduo vago, quod eſt prędicabile de pluribus, ſed pro indiuiduo determinato, quod poteſt pręedicari de ſe ìpſo ſaltem identicè. Definitio, qua indiuiduum dicitur, *quod eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio*, conuenit ſolum indiuiduo ſimpliciter, hoc eſt indiuiduo ſubſtantiæ complete, ideoque non eſt conuertibilis cum aliis definitionibus, per quas definitur etiam indiuiuiduum partium, & accidentium.

Ad

Ad 2. Vt argumentum melius soluatur, distinguendi sunt plures modi, quibus nos cognoscimus indiuidua. Primo ergo possumus cognoscere indiuidua cognitione cõmuni, e.g. cognitione, qua dicimus *homo*, quæ non magis exprimit vnum indiuiduum hominis, quam aliud, & cognitione propria, vt cum dicimus *Petrus*.

Secundo possumus cognoscere indiuidua cognitione communi illa confundente propter similitudinem, quam habent in aliquo prædicato essentiali specifico, vel generico; & cognitione confundente propter similitudinem, quam habent in aliquo prędicato accidentali E. g. cum dico *homo*, cognosco omnes homines, confundendo illos propter similitudinem, quam habent in essentia specifica hominis: cũ dico *animal*, cognosco omnia animalia, confundendo illa propter similitudinem, quam habent in natura generica animalis. E conuersò cũ dico *Italus, Germanus &c.* cognosco plures homines propter similitudinem, quã habent in prędicato accidentali Itali, vel Germani. Cum cognitio est communis propter confusionẽ in prædicato essentiali, est communis toti speciei, si prędicatum sit specificũ, & toti generi, si prędicatum sit genericum; e.g. cognitio, qua

dico

dico *homo*, eſt communis toti ſpeciei humanę, cognitio, qua dico *animal*, eſt communis toti generi animalium. At cum cognitio eſt communis propter confuſionem in prędicato accidentali, ſolet eſſe communis non toti ſpeciei, ſed aliquibus tãtum indiuiduis participantibus de facto tale prædicatum accidentale: e. g. cognitio, qua dico *Italus*, eſt communis ſolum omnibus hominibus, qui de facto nati ſunt in Italia. Rurſus cognitio communis propter confuſionem in prędicato eſsentiali ita eſt communis omnibus cõuenientibus in tali prędicato, vt iis ſit communis per ſe, & eſſentialiter, ac nõ poſsit nõ eſſe cõmunis; e.g. cognitio, qua dico *homo*, eſt communis omnibus hominibus per ſe, & eſſentialiter, ita vt non poſſit non conuenire omnibus. E conuersò cognitio communis propter conuenientiam in prędicato accidentali eſt cõmunis per accidens, ita vt poſſit non conuenire iis, ſed aliis paucioribus, aut pluribus; e.g. cognitio, qua dico *Italus*, de facto conuenit omnibus, & ſolis hominibus, qui nati ſunt in Italia; ſi iſti homines non nati eſſent in Italia, ſed alii, qui de facto nati ſunt in Germania, conueniret non iſtis, ſed illis: ſi homines nati in Italia eſſent duplò plures, conueniret hominibus duplò pluribus, ſi eſſent pauciores,

con-

ueniret paucioribus; si vnicus homo natus fuisset in Italia,conueniret vnico homini; si nullus homo natus fuisset in Italia, tum,cognitio, qua dico *Italus*, non cõueniret ex hominibus possibilibus vni potius, quam alteri,sed exprimeret prędicatum *hominis*, & prędicatum *nati in Italia*, supponens falsò, quod hæc duo prædicata facerent vnum per accidens adeoque aliquis homo natus esset in Italia,ideoque cognitio esset falsa, ac de subiecto non supponente.

Tertio possumus cognoscere indiuiduum cognitione propria per se, & cognitione propria solum per accidens: e. g. cognitio, qua cognosco me ipsum, & dico *ego*, est mihi propria per se, ita vt non possit mihi non conuenire,nec competere alteri à me; at cognitio,qua dico *Petrus*, est Petro propria solum per accidens, cum posset etiam non conuenire Petro, si non haberet aggregatum proprietatum per illam expressarum,& posset conuenire alteri homini, si tales proprietates de facto competerent alteri homini. Porrò cognitio, qua cognoscimus nos ipsos per se, est per locutionem incommunicabilis alteri. Nam licet ego cognoscam me ipsum per se, tamen non possum ita talem cognitionẽ verbis exprimere,vt alius formet cognitionem

exprimentem me per ſe, ſed ſolum vt formet cognitionem exprimentem me per accidens, & per aggregatum proprietatum.

Quarto cognitio repræſentans per accidens vnicum indiuiduum poteſt eſſe talis, vt non poſſit naturaliter repræſentare plura; & poteſt eſſe talis, vt poſſit naturaliter repręſentare plura; e. g. cognitio, qua dico *homo nunc exiſtens in atrio*, ſi ſolus Petrus ſit in atrio, repręſentat ſolum Petrum: & hæc eadem poſſet naturaliter repræſentare duos homines, ſi duo eſſent in atrio, & plures, ſi in atrio eſſent plures. Econuersò cognitio, qua dico Iulius Cæſar fundator romani imperii &c. non poteſt naturaliter repręſentare plures homines, quia cognoſcit Iulium Cęſarem per aggregatum tot proprietatum, vt naturaliter repugnet, quod competant ſimul pluribus hominibus.

Quinto cognitio repręſentans ita vnicum indiuiduum, vt non poſſit ſimul repręſentare naturaliter plura, poteſt eſſe talis, vt vel ipſa, vel alia indiſcernibiliter ſimilis poſſit in hoc ordine rerum repręſentare aliud; & poteſt eſſe talis, vt nec ipſa, nec alia indiſcernibiliter ſimilis poſſit repræſentare aliud; e. g. cognitio, quam habeo de Iulio Cæſare, non poteſt ipſa, vel alia indiſcernibiliter ſimilis

milis repræsentare alium hominem: at cognitio, per quam video à longè Petrũ ambulantem, solet esse talis, vt vel ipsa, vel alia similis indiscernibiliter possit repręsentare alium hominem ambulantem per eumdem locum. Prima est cognitio completa indiuidui; secunda est cognitio indiuidui solum incompleta, cũ ex vi illius non possimus determinare explicitè, quodnam sit illud indiuiduum, quod tali cognitione vnicè cognoscimus. Talis cognitio potest esse ita incõpleta quoad indiuiduum, vt sit completa quoad speciem; vel potest esse incompleta etiam quoad speciem, & completa solum quoad genus magis, aut minus vniuersale. E. g. cum video Petrum à longè, & cognosco, quod est homo, sed non aduerto, quis homo sit, cognosco indiuiduum completè quoad speciem; aduerto enim cuius speciei sit; at cognosco incõpletè quoad indiuiduum, cum non possim determinare, vtrum sit Petrus, vel Paulus. Si contingat, vt discernam id, quod video, esse animal, sed non discernam, vtrum sit homo, vel equus, cognosco cõpletè quoad genus, sed incõpletè quoad speciem, cum non possim discernere cuius speciei sit. Adhuc tamen in omnibus istis casibus cognosco vnicum indiuiduum, e. g. Petrum, si verè id, quod video

à lon-

à longè ſit Petrus. Probatur, quia ſi propè accedens agnoſcam Petrum, dico *vidi te à longe, ſed non diſcernebam quis eſſes*; ergo verè à longè vidi illum numero hominem, alioquin dicere non poſſem *vidi te à longè*.

Hinc ad argumentum reſpondeo concedo maiorem, & diſtinguo minorem; indiuiduum eſt cognoſcibile à nobis cognitione propria, communicabili, & cõpleta, & non per proprietates, nego minorem; cognitione incommunicabili, vel incompleta, concedo minorem; & nego conſequentiam. Indiuiduum cognitione propria, communicabili, & completa eſt cognoſcibile ſolũ per proprietates, quarum aggregatum non poteſt naturaliter in alio eſſe, vt dictum eſt; in allata verò definitione definitur indiuiduum vt cognoſcibile à nobis cognitione propria, completa, & communicabili.

Ad 5. Diſtinguo maiorem; in allatis definitionibus definitur ſingulare abſtractum ab hoc, & illo ſingulari, in quantum ſupponit pro tali abſtracto, nego maiorem; in quantum ſupponit pro ſingulis ſingularibus, à quibus fit abſtractio, concedo maiorem; & diſtinguo minorem; quod eſt abſtractum ab hoc, & illo ſingulari, eſt vniuerſale, in quantum

cum ſupponit pro tali abſtracto, concedo minorem; in quantum ſupponit pro ſingulis, ex quibus fit abſtractio, nego minorem; & nego conſequentiam. Dupliciter ſumi poteſt ratio abſtracta. Primo pro ſingulis á quibus abſtrahitur; e. g. cum dicitur *homo eſt riſibilis*, homo ſumitur pro ſingulis hominibus, à quibus abſtrahitur, & ſenſus eſt, quod *Petrus eſt riſibilis, Paulus eſt riſibilis.* Secundo poteſt ſumi non pro ſingulis, ſed pro ipſa ratione abſtracta, vt cum dicitur *homo eſt ratio abſtracta, vel eſt vniuerſale ſpecificum*, homo ſumitur non pro ſingulis hominibus, ſed pro ipſamet ratione hominis, in quantum ab abſtractione denominatur abſtracta, & vniuerſalis. In caſu noſtro cum dicitur, *ſingulare eſt quod de vno ſolũ prædicari poteſt*, abſtrahitur ſingulare, ſed non ſumitur ita, vt ſupponat pro ratione abſtracta ſingularis; de hac enim eſt falſum, quod poſſit de vno ſolum prædicari, cum poſſit prædicari de pluribus, dicendo *Petrus eſt ſingularis*, *Paulus eſt ſingularis*; ſed ſupponit pro ſingulis ſingularibus, à quibus abſtrahitur ſingulare, & ſenſus eſt *Petrus eſt quod de vno ſolum prædicari poteſt, & quod habet aggregatum proprietatum &c. Paulus eſt quod de vno ſolum prædicari poteſt &c.* Iam illud definitur, pro quo ſupponit definitum; & quia ſin-

ſingulare in definitionibus dictis ſupponit pro ſingulis ſingularibus; ſingula autem ſingularia non ſunt vniuerſale; ideò in definitione definitur ſingulare vniuerſaliter acceptum, non autem vniuerſale. Idem dic ad alias ſimiles difficultates; e. g. dum quæritur, vtrum poſſit abſtrahi ſingularitas Petri in quantum eſt ſingularitas Petri, dicendum, quod in aliquo ſenſu poteſt abſtrahi, hoc eſt poteſt ſumi cognitione confundente omnes ſingularitates, ac ſupponente pro ſingulis; at non poteſt abſtrahi ita, vt ſumatur cognitione, quæ ſimul ſit propria talis ſingularitatis, ſimul ſit abſtracta & cōmunis omnibus ſingularitatibus, cum in terminis repugnet.

Vtrum conuenienter explicetur quid ſit differentia generica, ſpecifica, & numerica. Quæſtio XL.

VIdetur, quod non benè explicetur differentia generica per hoc, quod ſit diſsimilitudo in materia, præſcindendo

do ab eo, quod ordinetur ad primo essendum sub quibusdam certis accidentibus loci, temporis &c; differentia specifica sit dissimilitudo formæ, præscindendo ab eo, quod ordinetur ad primo essendum in materia, in certo loco, ac tempore; differentia purè indiuidualis sit dissimilitudo purè consistens in hoc, vt materia, in qua primo res est, debeat esse sub certis accidentibus loci, temporis &c. 1. quia etiam ea, quæ habent materiam secundum se omninò similem, differunt genere; e. g. animalia, & plantę licet habeant materiam omninò similem, differunt genere; ergo non requiritur ad differentiam genericam dissimilitudo materiæ secundum se, alioquin corpora inferiora, cum habeant similē omninò materiam primam, non possent genere differre.

2. Differentia generica potest etiam dari in entibus carentibus omninò materia, e. g. in Angelis; ergo differentia generica non est dissimilitudo in materia.

3. Plures homines licet specie non differant, differunt in perfectione entitatiua animæ rationalis; e.g. anima Aristotelis fuit entitatiuè perfectior, quam anima Thersitis hominis stolidissimi; sed hęc dissimilitudo non consistebat

bat merè in eo , quod anima Aristotelis ordinaretur primò ad essendum in materia signata diuersis accidentibus loci, temporis &c; ergo ad differentiam specificam non sufficit differentia entitatiua formę, alioquin homines dissimiles in perfectione entitatiua animæ rationalis, specie differrent.

4. Descriptiones differentię specificę, & numericæ debent esse vtiles ad soluẽdas quęstiones, quibus quæritur, vtrum aliqua differant specie, vel solo numero, & ad explicanda axiomata communiter recepta in hac materia; sed ad hunc finẽ inutiles sunt descriptiones allatæ; ergo &c. Minor probatur: nam communiter dicitur, quod masculus, & fœmina non differunt specie; quod actiones, passiones, & motus sumunt speciem non ab agente, sed à termino; e.g. quod calefactio, per quam sol calefacit, non differt specie à calefactione, per quam calefacit ignis, licet procedant ab agentibus specie diuersis, nimirum à sole, & igne; quod etiam figuræ non sumunt speciem à subiecto, e. g. quod rotunditas auri non differt specie à rotunditate ligni, licet sint rotunditates subiectorum specie diuersorum; quod actus virtutum non sumunt speciem bonitatis ab obiecto materiali, sed à formali; e conuer-

uersò actus vitiorum desumunt speciem malitię etiam ab obiecto materiali; quod magis, & minus in qualitatibus non inducunt differentiam specificam, ita vt calor intensus non differat specie à remisso; sed horum ratio non potest afferri per descriptiones allatas differentiæ specificę, & purè numericæ; ergo &c.

Respondeo, quod cum hactenus egerimus de genere, specie, differentia, & indiuiduo, superest, vt explicemus, quid sit differentia specifica, vel purè indiuidualis.

Dicunt aliqui primo illa specie differre, quę differunt notabiliter iudicio prudentum; illa verò, quę non differunt notabiliter, differre solo numero. Sed reiiciuntur primo, quia definitiones, & explicationes rerum debent habere fundamentum in communi sensu, & conceptu philosophorum; hæc autem explicatio non habet fundamentum in Aristotele, nec in vllo ex antiquis philosophis. Secundo quia hæc explicatio non satis rē declarat. Relinquit enim iudicio prudentum decernere, quandonam res differant notabiliter, quando non differant notabiliter: prudentes verò vt hoc determinent prudenter, indigent aliquo fundamento priore, quod esset assignandum; ergo dum non assignatur tale fundamento

damentum, non satis res explicatur. Tertio quia sequitur, quod ferè de omnibus posset dubitari, vtrum differant specie; e. g. cur numerus septenarius notabiliter differt à numero senario, cum differat per vnicam vnitatem? cur figura oualis specie differt à figura rotunda? Quarto sequitur duo posse esse eiusdem speciei cum aliquo tertio, & tamen specie differre inter se; e.g. duo colores possunt habere minimam differentiam specificam, & tamen adhuc potest dari color medius inter vtrumque, qui à neutro differat notabiliter, atque adeò à neutro differat specie; ergo illi colores specie differunt inter se, & tamen sunt eiusdem speciei cum colore medio.

Dicunt alii secundo illa differre specie, quę sunt inęqualia in perfectione essentiali, & entitatiua, illa verò differre solo numero, quæ sunt æqualia in perfectione essentiali, & entitatiua. Sed contra, quia malè definitur res per prędicatum, de quo valdè est dubium, non solum an sit illi essentiale, sed etiam an sit conuertibile, & de quo nihil cogitamus, cum intelligimus talem rem; sed est valdè dubium, an semper ea, quę differunt specie, sint inęqualia in perfectione, & cum quis euidenter cognoscit

quod albedo,& rubedo ſpecie differunt, nihil cogitat de hoc, an ſint æquales, vel inæquales; ergo malè differentia ſpecifica explicatur per inæqualitatem perfectionis.

Dicunt alii tertio, quod illa ſpecie differunt, quæ differunt in prædicato præcipuo, illa verò, quę non differunt in prædicato præcipuo, differunt ſolo numero; & ex hoc inferunt cum Sancto Bonauentura, quod omnes Angeli ſunt eiuſdem ſpeciei, quia non differunt in prædicato præcipuo, quod eſt eſſe intellectuale, cum omnes ſint intellectuales. Sed hęc ſententia reiicitur à Sancto Thoma prima parte quæſt. 50 artic. 4. ad primum, quia ſequeretur, quod omnia bruta animalia eſſent eiuſdem ſpeciei. Sicut enim nobiliſſimum prædicatum Angelorum eſt eſſe intellectuale, ſic nobiliſſimum prędicatum brutorum eſt eſſe ſenſitiuum; ergo ſicut quia angeli conueniunt in prędicato intellectualis, ponuntur eiuſdem ſpeciei; ſic quia omnia bruta conueniunt in prædicato ſenſitiui, ponenda ſunt eiuſdem ſpeciei. Simili argumento poſſunt reiici qui limitant hanc ſententiam ad accidentia, & dicunt requiri ad hoc, vt accidentia differant ſpecie, quod differant in prędicato præcipuo. Sequeretur enim, quod omnes ſen-

ſenſationes eſſent eiuſdem ſpeciei. Pręcipuum enim, & nobiliſſimum prædicatũ ſenſationum eſt eſſe actus cognoſcitiuos; ſed omnes ſenſationes conueniunt in hoc, vt ſint actus cognoſcittui; ergo omnes ſenſationes ſunt eiuſdem ſpeciei. Et confirmatur, quia cum dicunt accidentia tum ſolum differre ſpecie, cum differunt in prædicato præcipuo, vel nomine prędicati pręcipui intelligunt prædicatum nobiliſſimum omnium, & contra eſt, quia non requiritur ad hoc, vt accidentia differant ſpecie, quod differant in prędicato omnium nobiliſſimo; vel non intelligunt prædicatum nobiliſſimum omnium, & non ſatis explicant quid ſit differre in prædicato præcipuo, niſi recurrant ad iudicium prudentum, adeoque incidant in difficultatem oppoſitam contra ſententiam dicentem differentiam ſpecificam eſſe differentiam notabilem.

Dicunt alii quarto illa differre ſolo numero, quæ diſtinguuntur ita, vt ſint omninò ſimilia in omnibus prædicatis, quę conueniunt ipſis per ſe, & ita vt nõ poſsint non conuenire, ac ſolum ſunt diſsimilia in prædicatis conuenientibus per accidens, ita vt poſsint non conuenire; illa verò, quæ ſunt diſsimilia in aliquo prędicato per ſe, ac neceſſario

conueniente, differre specie; e. g. Petrus, & Paulus differunt solo numero, quia solum sunt dissimiles in accidentibus indiuidualibus per accidens competentibus, nimirum in figura, statura &c, cum in omnibus prædicatis per se competentibus sint omninò similes; at Petrus, & Bucephalus differunt specie, quia sunt dissimiles in prędicatis hominis, & equi, quæ conueniunt ipsis per se, & necessario.

Sed contra primo, quia omnia indiuidua sunt dissimilia in aliquo prædicato per se ipsis competente, vt dictum est quæst. 35. conc. 5. & explicabitur in resolutione quæstionis: ergo ex hac sentẽtia sequitur, quod omnia indiuidua differant specie. Secundo tres Personę diuinę sunt dissimiles in prędicatis Patris ingeniti, ac generantis, Filii geniti, ac Spiritus non geniti, sed spirati, quę prędicata per se, ac necessario competunt ipsis, & tamen non differunt specie, sed solo numero; in creatis rotunditas auri, ac rotunditas ligni, non differunt specie, ideoque Aristoteles 10. met. t. 25. docet, quod circulus æneus, ac ligneus non differunt specie, & tamen differunt per se in prædicatis, quod altera est rotunditas auri, altera ligni similiter calefactio, qua ignis calefacit,

non

non differt specie à calefactione, qua sol calefacit, licet sint dissimiles in prædicatis, quæ necessario illis competunt, quę prędicata sunt *procedere à sole, & procedere ab igne*; ergo nec in diuinis, nec in creatis sufficit ad differentiam specificam dissimilitudo in prædicatis per se conuenientibus.

Reiectis igitur his sententiis, dicendũ primo, quod ea differunt solo numero, quæ cum in reliquis prædicatis per se sint omninò similia, sunt dissimilia solum in hoc, quod ordinantur, & adaptantur ad essendum saltem primo in diuerso subiecto, vel à diuerso agente, vel sub diuerso loco, ac tempore, & sub quibusdam diuersis circunstantiis, quę idcirco vocantur indiuiduantes; quę verò non solum sunt dissimilia in tali adaptatione, & ordine, sed etiam in aliis prædicatis per se, differunt specie. Probatur prima pars conclusionis, quia prędicata, quę merè requiruntur, vt species sint conuenienter multiplicabiles per plura numero indiuidua, sunt purè indiuidualia, ac spectant ad puram differentiam numericam; sed vt species sint conuenienter multiplicabiles per plura numero indiuidua, requiritur adaptatio indiuiduorum diuersis subiectis, agentibus &c; ergo talis adaptatio spectat ad differen-

tiam purè indiuidualem. Minor probatur: cogitemus enim e.g. ſpeciem rotunditatis. Rotunditas debet eſſe multiplicabilis per plures numero rotunditates, quia plures ſpecies corporum debent poſſe fieri rotundæ, e.g. aurum debet eſſe poſſe rotundum, ſimiliter argentum, ferrum, lignum &c; ergo debet dari rotunditas adaptata ad reddendum rotundum aurum, & alia rotunditas adaptata ad reddendum rotundum argentum; ergo talis adaptatio requiritur ſolum, vt ſpecies rotunditatis ſit multiplicabilis in plures numero rotunditates, adeoque conſtituit differentiam purè numericam rotunditatum. Similiter ſpecies actionis calefactiuæ debet eſſe multiplicabilis, quia agentia ſpecie differentia debent poſſe calefacere; e, g. ignis debet poſſe calefacere, ſimiliter ſol; ergo debent dari & calefactio adaptata igni, & calefactio adaptata ſoli; ergo talis adaptatio non ſpectat ad differentiam ſpecificam, ſed purè numericā. Homo, equus, & aliæ ſpecies corruptibiles debent eſſe multiplicabiles, quia cum non poſsit idem numero homo ſemper eſſe, debent poſſe generari alii, & alii homines, in quibus conſeruetur ſpecies humana; ergo dari debent homines adaptati ad hoc, vt generentur diuerſis tem-

temporibus, diuersis locis, ex diuersis parentibus, cum corporibus accidentaliter dissimilibus; ergo talis adaptatio ad hoc, vt homines generentur ex diuersis parentibus, diuerso loco, & tempore, non constituit differentiam specificam, sed purè numericam. Confirmatur, quia in diuinis distinctio purè numerica Personarum consistit in dissimilitudine in ordine essendi, per quem ordinem Pater ita habet naturam diuinam, vt sit omninò improductus; Flius eamdem naturam accipit à Patre per generationem; Spiritus sanctus à Patre, & Filio per spirationem; sed distinctio purè numerica creaturarum imitatur in quantũ potest distinctionem numericam diuinarum personarum; ergo debet etiam consistere in dissimilitudine quoad ordinem essendi, per quem indiuidua adaptantur ad primo essendum in diuersis circunstantiis.

Quod verò in singulis indiuiduis generabilibus, & corruptibilibus detur quędam adaptatio, seu quidam ordo ad hoc, vt generentur in certo loco, tempore, &c, quæ adaptatio vocatur series, docent contra Nominales, & aliquos recentiores Sanctus Thomas, & alii celebres auctores, & probabitur à nobis cum agemus de serie effectuum. Nunc

sufficit indicare quasdam ingentes commoditates huius sententiæ.

Prima est mira correspondentia inter circunstantias, in quibus produci possunt varia indiuidua eiusdem speciei, & ipsa indiuidua, per quam cuilibet complexo adaptatur suum indiuiduum. Hęc autem correspondentia est dignissima diuina sapientia, quæ non solum videt infinitas circunstantias, in quibus potest producere infinitos homines, sed etiam videt quinam homo specialiter adaptetur singulis complexis circunstantiarum. Et confirmatur, quia negari non potest, quod spectat ad perfectionem operis, & sapientiam artificis, vt quęlibet pars operis adaptetur specialiter certo situi; ergo spectat ad perfectionem operis diuini, atque artis diuinę, vt quodlibet indiuiduum, quod est pars talis operis, possit specialiter adaptari quibusdam circunstantiis; sed omnia creata nihil aliud sunt, quam obiecta, circa quę potest exerceri perfectissima ars diuina; ergo omnia indiuidua specialiter adaptantur certis circunstantiis.

Secunda commoditas est, quod in hac sententia redditur ratio cur sint possibilia hæc certa indiuidua in quacumque specie, & non alia. Sunt enim possibiles infinitæ, sed certę circunstantiæ lo-

loci, temporis &c, in quibus possunt produci homines; ergo sunt possibilia infinita, sed certa indiuidua, quæ adaptentur singulis illis circunstantiis; alia verò, præter adaptata talibus circumstantiis non sunt possibilia, quia non sunt possibiles aliæ circunstantiæ, quibus adaptentur.

Tertia commoditas est, quod in hac sententia explicatur, quęnam sit vltima indiuiduatio completa cuiuscumque indiuidui, seu quodnam sit prędicatum per se dissimile, per quod vnumquodque indiuiduum nominari potest nomine mentali proprio per se, ac distingui ab aliis indiuiduis etiam eiusdem speciei, vt dictum est q. 35. concl. 5. Tale prædicatum est adaptatio explicata ad speciales circunstantias; e.g. Petrus est homo adaptatus ad essendum primò in iis circunstantiis loci, temporis &c. in quibus de facto fuit generatus. Hæc adaptatio vocari potest *proprietas characteristica*, & si cæteri gradus distinguuntur ex natura rei, etiam ipsa distinguitur ex natura rei ab infima differentia specifica; si cæteri gradus distinguuntur solum per intellectum, etiam ipsa distinguitur solum per intellectum iuxta varias sententias.

Quarto in hac sententia explicatur

quo pacto indiuiduetur materia, & forma tum ſubſtantialis, tum accidentalis. Materia prima, quæ naturaliter debet tota ſimul creari à Deo ab initio mundi, indiuiduatur præſertim per hoc, quod debeat creari cum certa raritate, ac denſitate, & in loco diuerſo. Debemus enim cogitare infinitum ſpatium imaginariũ, ſeu poſsibile, correſpondens diuinæ immenſitati; ſingulæ partes materię poſsibilis adaptantur ad primò eſſendum in ſingulis partibus talis ſpatii, prout occupandis cum certa raritate, & denſitate. Formę tum ſubſtantiales, tum accidentales etiam ſpirituales indiuiduantur per hoc, quod adaptantur ad primo eſſendum in ſubiecto exiſtente ſub talibus accidentibus, & circunſtantiis, à tali agente &c. Proportionaliter indiuiduantur durationes, & vbicationes.

Hinc colligitur ſolutio queſtionis de principio indiuiduationis. Poteſt quęri de principio formali, & de principio terminatiuo, ſeu radicali. Principium formale indiuiduationis eſt ipſa adaptatio, ſiue ordo ad certas circunſtantias; principium terminatiuum, ſeu radicale ſunt ipſæmet circunſtantiæ, quibus adaptatur vnumquodque indiuiduum.

Col-

Colligitur etiam decisio quæstionis, vtrum differentia purè numerica suscipiat magis, & minus. Respondeo affirmatiuè. Illa enim indiuidua, quæ adaptantur circunstantiis dissimilioribus, sunt miliora, ac magis differunt; illa, quæ adaptantur circunstantiis dissimilioribus, sunt similiora, ac minus differunt.

Probatur iam secunda pars conclusionis, quod quę sunt dissimilia, non solum in explicata adaptatione, sed etiam in aliis prędicatis per se, differunt specie. Omnis enim dissimilitudo in prędicatis per se, quæ non ordinantur purè ad cõuenientem multiplicationem numericã indiuiduorum, est specifica; sed ad multiplicationem purè numericam ordinatur solum adaptatio ad essendum in diuersis circunstantiis loci, temporis &c; ergo omnis alia dissimilitudo in prædicatis per se est specifica. E. g. quia dissimilitudo inter rotunditattem auream, & argenteam, purè ordinatur ad hoc, vt species rotunditatis possit conuenire diuersis subiectis, est purè numerica: at dissimilitudo inter figuram oualem, & rotundam, quia non ordinatur ad hoc, vt species figuræ rotundæ possit conuenire diuersis subiectis, sed vt dentur figuræ secundum se præcisè dissimiles, est specifica.

Di-

Dicendum secundo, quod ea differunt sola specie, quę sunt per se dissimilia in prædicatis formalibus, hoc est contrahibilibus per differentias oppositas solum numericè; ea verò differunt genere logico, quę sunt dissimilia in prædicatis materialibus, hoc est contrahibilibus per oppositas differentias specificas; ea differunt genere physico, quæ sunt dissimilia in materia, vel saltem in modo materialitatis, seu compositionis.

Probatur, quia ea differunt sola specie, quę sunt dissimilia in prædicatis merè specificis; sed prædicata merè specifica sunt, quę sunt contrahibilia solum per differentias oppositas numericè, quę verò sunt contrahibilia per differentias specificas, sunt prędicata generica; e. g. prædicatum hominis est prędicatum purè specificum, quia solum est contrahibile per differentias Petreitatis, Pauleitatis &c, quæ sunt purè numericæ; è conuersò prædicatum animalis est genericū, quia est contrahibile per differentias rationalis, & irrationalis, quæ sunt specificæ; ergo &c. Iam prędicata purè specifica vocantur formalia; prędicata generica dicuntur materialia, quia sicut materia est determinabilis per varias formas, sic genus est contrahibile per va-

varias differentias specificas. Debet autem aduerti, quod sicut difficile est inuenire genus infimum, vt dictum est quæstione 37. sic difficile est iudicare, vtrũ aliqua differant sola specie, vel etiam in aliquo genere infimo; e. g. videtur, quod homo, & equus non solum differant specie, sed etiam in aliquo genere innominato, in quo equus conuenit cum asino, vt Aristoteles docet septimo metaphysicæ tex. 18, & alibi: at equus, & asinus videntur differre sola specie.

Præter differentiam in genere purè logico, datur etiam differentia in genere physico. Ex doctrina Aristotelis 10. metaphysicæ tex. 26., & S. Thomę in commentario, ea differunt in genere physico, quę sunt dissimilia in materia, vel in modo materialitatis, seu compositionis. Explicatur. Nam in rebus artificialibus ea dicuntur esse vnius generis, quæ conueniunt in materia artificiali, & differunt per solas formas artificiales; e. g. omnia artificiata ferrea dicuntur esse eiusdem generis, similiter lapidea, lignea &c., quia conueniunt in materia; at verò artificiata ferrea sunt diuersi generis à ligneis, vel lapideis. Proportionaliter in rebus naturalibus, corpora liquida, vt oleum, vinum &c. dicũtur eiusdem generis, quia materia liqui-

dorum

dorum videtur esse aqua ; omnia sicca, & consistentia, vt lapides, metalla, dicuntur esse eiusdem generis, quia eorum materia videtur terra; at liquida, & sicca dicuntur esse generis diuersi, quia dissimilis est eorum materia. Immo propriisimè formæ eiusdem generis dicuntur esse, quæ ita sunt dissimiles, & contrarię, vt conueniant in vna materia per se transmutabili ab vna forma in aliam; e. g. omnes figuræ dicuntur vnius generis, quia subiectum omnium figurarum est quantitas figurabilis per omnes figuras, & ab vna figura per se transmutabilis in aliam; omnes colores dicuntur vnius generis, quia subiectum colorum est superficies per se transmutabilis ab vno in alium colorem: at colores & figuræ dicuntur esse diuersi generis, quia rotundum e. g. non est per se transmutabile in album, aut nigrum, sed in quadratum, & ouale. Quia verò omnes formę substantiales corporum inferiorū cōueniunt in materia prima omninò simili, quę est transmutabilis mediatè, vel immediatè ab vna forma ad aliam quãcumque; ideò omnes formæ corporum inferiorum sunt eiusdem generis, & omnia corpora corruptibilia dicuntur eiusdem generis physici propter conueniētiam in materia transmutabili. At for-

mæ

mæ ſubſtantiales inferiores non ſunt eiuſdem generis cum formis corporum cœleſtium, quia non conueniunt in materia omninò ſimili, & tranſmutabili, cũ materia corporum cœleſtium videatur diuerſæ rationis à materia corporum inferiorum, vt docet Sanctus Thomas prima parte quæſt. 66.art.2.ideoque docet Ariſtoteles 10. metaphyſicæ tex. 26 quod corruptibile,& incorruptibile differunt genere. Corpora tamen cœleſtia ſunt eiusdem generis phyſici, quia conueniunt inter ſe in materia omnino ſimili intrans mutabili.Differunt tamen genere ab Angelis,quia Angeli carent materia, cum corpora cœleſtia materiam habeant. Quia tamen Angeli, licet careant materia, conueniunt in modo cõpoſitionis, quæ compoſitio eſt quędam materialitas; ſiquidem omnes angeli cõponuntur ex eſsentia, & eſſe, vel duratione; ideo etiam Angeli conueniunt inter ſe in genere phyſico. Solus Deus vtpotè omninò ſimplex, adeoque carens omni compoſitione, ac ſummè immaterialis, non conuenit genere cum vlla creatura, immò in nullo eſt genere, ne logico quidem. Genus enim logicum debet deſumi ab aliquo, quod in ipſa re ſe habeat ad modum materiæ; ſed Deus eſt purus, ac ſimpliciſsimus actus, adeo-

adeoque nihil in eo ſe habet ad modũ materiæ, ſeu potentię; ergo nihil datur in Deo, à quo deſumatur genus etiam logicum, adeoque non eſt in vllo genere, ſed continet perfectionem omnium generum, & eſt principium omnium generum.

Hinc patet tria eſſe phyſica genera ſubſtantiarum completarum deſumpta ex triplici gradu materialitatis. Infimum continet corpora inferiora compoſita ex forma, & materia tranſmutabili ſubſtantialiter. Secundum continet corpora cœleſtia compoſita ex forma, & materia intrans mutabili ſubſtantialiter. Tertium continet Angelos, qui licet non ſint cõpoſiti ex materia, & forma, ſed ſint formę tantum, adhuc includunt compoſitionem ex eſſentia, & eſſe, vel duratione. Supra, & extrà omnia genera eſt Deus, qui vtpote omninò ſimplex, & incompoſitus non eſt in genere, cum genus etiam logicum fundari debeat in aliqua reali compoſitione, ſeu materialitate.

Tota hæc doctrina de differentia generica ſpecifica, & purè numerica deſumpta eſt ex Ariſtotele pluribus locis. Nam 10. metaphyſicę tex. 26. docet corruptibile, & incorruptibile genere differre, quia diſconueniunt in mate-

materia, adeoque supponit differentiam genericam consistere in disconuenientia materię secundum se, vt explicat sanctus Thomas. Docuerat autem tex. 25. differentiam specificam esse similitudinem, vel contrarietatem formæ; differentiam purè numericam desumi per ordinem ad accidentia, quæ afficiunt materiam, ideoque masculum, & fœminam non differre specie, quia differunt solũ per ordinem ad accidentia materiæ; ergo Aristoteles 10. metaphysicæ, vbi ex professo tractat quęstionem de differentia, generica, specifica, & numerica, docet expresse nostram sententiam. Eamdem insinuat 7. metaph. tex. 28. & pluribus aliis locis. Eamdem docent communiter Thomistæ ex sancto Thoma dicentes differentiam specificam esse differentiã formalem, differentiam numericam, esse differentiam materialem. Nomine enim differentiæ materialis intelligunt illam, quæ desumitur ab ordine, siue adaptatione ad materiam signatam diuersis accidentibus, seu circunstantiis indiuiduantibus. Ad eamdem sententiam reducitur opinio aliorum communis, quod ea differunt specie, quæ differunt in essentia, ac definitione: ea verò, quæ sunt dissimilia solum in aliquo, quod sit extrà essentiam, & definitionem, differũt

solo

ſolo numero. Nam ad eſſentiam, & definitionem rei ſpectant omnia prædicata per ſe, exceptis ijs, quæ deſumuntur ab ordine ad eſſendum in certis circunſtãtiis; ergo quæ differunt ſolum in tali ordine, non differunt eſſentia, ac definitione. Hinc patet ſenſus queſtionum, quibus quæritur, *quid*, *& quis*, e. g. quibus queritur *quid ſit Petrus*, *& quis homo ſit*. Per quæſtionem *quid* quæruntur ſolum, prædicata ſpecifica, ideoque quærenti *quid ſit Petrus*? ſolum debet reſpõderi, quod *eſt animal rationale*: at per queſtionem *quis* quæruntur prædicata indiuidualia, ideoque querenti *quid ſit Petrus*?, explicari debent accidentia, & proprietates quibus Petrus indiuiduatur per accidens, quandoquidem non penetramus indiuiduationem per ſe, que eſt ordo ad certas circunſtantias nobis ignotas.

Ad 1. & 2. Patet ex dictis, quod tũ que habent materiam omninò ſimilem, vt corpora inferiora, tum ea, quæ, carent materia, vt Angeli, differunt ſolum genere logico, non autem genere phyſico.

Ad 3. Tranſeat maior, & nego minorem. Dico enim, quod tota diſſimilitudo, vel inæqualitas animarum rationalium, & aliarum formarum eiuſdem ſpe-

speciei, consistit in hoc, vt ordinentur ad primò essendum sub diuersis acciden-talibus, & circunstantiis; si verò datur alia dissimilitudo, vel inæqualitas formarum, eo ipso differunt specie. Addo, quod præcipua inæqualitas inter Aristotelem, & Thersitem erat accidentalis. Quia enim Aristoteles habebat perfectiora organa & perfectius temperamentum, quam Thersites, ideò ita excellebat ingenio Thersitem, vt cum Aristoteles esset ingeniosissimus Thersites esset stolidissimus. Quod verò sola differentia accidentalis possit causare illam diuersitatem, quæ est inter hominem sapientem, & stolidum, patet, quia idem homo, qui aliquando fuit sapiens, aliquando euadit stolidus, & etiam insanus, & tamen non fit alia mutatio, quam merè accidentalis in temperamento, atque organis; ergo etiam propter diuersitatem, accidentalem organorum, ac temperamenti possunt duo homines ita differre, vt alter sit ingeniosus, & prudens, alter hebes, ac stolidus. Hinc sequitur, quod si anima Aristotelis fuisset posita in corpore Thersitis, homo compositus ex anima Aristotelis, & corpore Thersitis fuisset hebes, & stolidus, sicut Thersites. E cõuersò si anima Thersitis fuisset posita in corpore Aristotelis, homo compositus

ex

ex anima Thersitis, & corpore Aristotelis fuisset ingeniosus, ac prudens, sicut Aristoteles.

Ad 4. Concedo maiorem, & nego minorem. Dico enim, quod allatę descriptiones sunt vtilissimæ ad soluendas quęstiones, & explicanda axiomata circa differentiam specificam, vel purè numericam. Primo enim patet, quod masculus, & fœmina non differunt specie, quia differunt solum in accidentibus sexus, vel ad summum in ordine ad talia accidentia. Secundo patet, quod actiones, passiones, & motus sumunt speciē non ab agente, sed à termino. Quod non sumant speciem ab agente, patet ex dictis. Nam ordo, siue adaptatio dissimilibus agentibus ordinatur solum ad conuenientem multiplicationem numericam. Quod sumant speciem à termino, est manifestum. Nam actio, & passio debent habere naturam, & essentiam commensuratam termino producendo; e. g. illuminatio debet habere essentiam commensuratam lumini; calefactio debet habere essentiam commensuratam calori; ergo sicut lumen, & calor specie differunt, sic calefactio, & illuminatio differunt specie. Si verò termini sunt eiusdem speciei, etiam actiones sunt eiusdem speciei, e. g. calefactio procedens ab

igne

igne est eiusdem speciei cum calefactione procedente à sole, quia diuersa agentia ad producendam similem speciẽ termini adhibent actionem eiusdem speciei, & talem ponunt actionem, qualem requirit terminus. Idem proportionaliter dic de motu. Nam motus, ad calorem, hoc est calefactio sumit speciem à calore: motus ad locum sumit speciem à loco, non à mouente. Siue enim saxum moueatur sursum ab homine, siue à leone, motus ille, quo mouetur sursum, est eiusdem speciei.

Tertio patet cur actus virtutum sumant speciem bonitatis solum ab obiecto formali, actus vitiorum desumant speciem malitię etiam ab obiecto materiali. Ratio est, quia adaptatio diuersis subiectis non inducit differentiam specificam, sed solum numericam, vt dictũ est in prima conclusione, & explicatum exemplo rotunditatis aureæ, & argenteæ; sed forma actus virtutis est, quod sit amor sui obiecti formalis e. g. forma actus misericordiæ est, vt sit actus ex motiuo misericordiæ, & ex amore talis motiui volens subuenire indigenti; ergo adaptatio, per quam aliquis actus ex motiuo misericordiæ vult subuenire egenti, dando potius pecuniam, quam frumentum, non ponit differentiam specificam.

Si

Si verò actus velit dare pecuniam ex motiuo charitatis diuinę, tunc hic actus volens dare ex motiuo charitatis specie differt ab actu volente dare pecuniam ex motiuo solius misericordię, quia differt ex obiecto formali, adeoque secundum formam, & non solum secundum adaptationem, siue ordinem ad diuersam materiam. Hinc colligitur omnes actus fidei, etiam quibus credimus diuersa mysteria, e. g. Trinitatem, Incarnationem &c. esse eiusdem speciei. Forma enim actus fidei est, vt credamus, id quod Deus dicit ex motiuo diuinę veracitatis; ergo adaptatio, per quam actus credit Incarnationem, aut Trinitatem inducit differentiam purè numericam, saltem in genere morali, quidquid sit an inducat differentiam specificam in genere physico. De actibus malis valet opposita ratio. Forma enim actus mali non est, quod sit electio mali, quia malum est, adeoque habens malum pro obiecto formali. Vt enim docent scholastici communiter ex Aristotele, & S. Dionysio, nemo intendens ad malum operatur; e. g. qui facit homicidium, non ideò facit homicidium, quia malum est hominem occidere, sed vt consequatur aliquod bonum, e. g. dulcedinem vindictæ; ergo forma actus mali est,

quod

quod sit electio alicuius, quod cognoscitur esse malum, licet non ideò, quia est malum; ergo cum cognoscitur in obiecto malitia specie diuersa, actus contrahit malitiam specie diuersam, etiamsi non habeat pro motiuo, & obiecto formali talem malitiam. Ita qui occidit clericum Deo consecratum, etiamsi nō occidat ex hoc motiuo, quia clericus est, adhuc non solum contrahit malitiam homicidii, sed etiam sacrilegii. At qui dat eleemosinam clerico ex motiuo misericordię, non autem ex motiuo religionis, in quantum clericus est, non contrahit bonitatem religionis, sed solius misericordię. Sed hæc sufficit indicasse; spectant enim ad doctrinam moralem.

Quarto patet, quod magis, & minus non ponant differentiam specificam, nisi in genere quantitatis; e. g. tres homines non differunt specie à duobus, nisi in genere numeri, seu quantitatis discretæ: tres palmi ligni non differunt specie à duobus, nisi in genere magnitudinis bipalmaris, & tripalmaris, quę sunt quantitates continuæ; calor vt octo non differt specie à calore vt vnum, nisi in genere intensionis, quæ spectat ad quantitatem. At octauus gradus caloris non differt specie à primo, quia solum

habet dissimilitudinem per ordinem ad proximum subiectum. Octauus enim est talis, vt debeat esse in subiecto calido iam vt septem: at primus gradus non supponit subiectum calidum per vllum alium gradum caloris.

Vltimò patet responsio ad quæsitum, vtrum vltimę indiuiduationes specie differant. Dico quodnon differunt specie. Dissimilitudo enim ordinata purè ad hoc, vt res differant numero, non est specifica; sed indiuiduatio est dissimilitudo solum ordinata ad hoc, vt res differant numero; ergo indiuiduationes non differunt specie, sed solo numero, & earum dissimilitudo est purè numerica.

Vtrum omnes species sint multiplicabiles. Quæstio XXXXI.

VIdetur, quod omnes species sint multiplicabiles. 1., quia quodlibet genus est multiplicabile in plures species; ergo quęlibet species est multiplicabilis in plura indiuidua.

2. Diuina omnipotentia non est restringenda, sed potius amplianda; sed asserendo, quod Deus non possit in-

qua-

qualibet ſpecie producere plura indiuidua, diuina omnipotentia reſtringitur; ergo &c.

3. Prędicata propria Dei, vt immenſitas &c. conuenire nō poſſunt vlli creaturę; ſed non poſſe habere ſimilem in eſſentia eſt prædicatum proprium Dei, ideoque dicitur in ſcriptura, *Deus quis ſimilis tibi?* ergo non poteſt conuenire vlli creaturæ, adeoque omnes creaturæ poſſunt habere ſimile in ſpecie.

4 Ex proportionalibus rationibus, ex quibus requiruntur plura indiuidua in ſpeciebus materialibus, requiruntur etiam in ſpeciebus immaterialibus; ergo &c. Probatur antecedens: ſpecies materiales, e. g. ſpecies hominis ſunt multiplicabiles propter defectibilitatem, atque indigentiam ſingulorum indiuiduorum. Quia enim vnicum indiuiduum propter ſuam corruptibilitatem non poteſt eſſe perpetuum, ſpecies verò debent eſſe perpetuæ, debent eſſe multiplicabiles per plura indiuidua, in quibus ſpecies ſemper conſeruentur; quia rurſus vnicus homo cum ſit animal ſociale, & indigens multis auxiliis, non ſufficit ſibi, dari debent plures homines, qui ſimul ſibi ſufficiant; ſed indiuidua angelica, licet ſint indefectibilia phyſicè, ſunt defectibilia moraliter: poſſunt enim pec-

care, & per peccatum moraliter deficere à suo fine defectu peiori, quam physica corruptio: integræ verò species debent esse non solum physicè, sed etiam moraliter indefectibiles; rursus etiam indiuidua angelica non sunt solitaria, sed socialia, & ad vitam intellectualem indigent consortio aliorum angelorum, cum quibus amicabiliter viuant; amicitia verò perfecta connaturaliter non potest intercedere, nisi inter ea, quæ sunt eiusdem speciei; ergo species immateriales sunt multiplicabiles ex proportionalibus rationibus, ac species materiales.

5. Non solum accidentia materialia, sed etiam immaterialia sunt multiplicabilia numero; ergo non solę substantiæ materiales, sed etiam immateriales sunt multiplicabiles numero.

6. Angeli non sunt immultiplicabiles numero ratione perfectionis, nec ratione imperfectionis; ergo ex nullo capite Probatur antecedens: nam personę diuinę perfectiores angelis sunt multiplicabiles in plures personas solo numero differentes; substantię materiales imperfectiores Angelis sunt pariter multiplicabiles; ergo &c.

Respondeo, quod substantię immateriales completæ, quales sunt Intelligen-

tię non poſſunt differre ſolo numero, ſed neceſſario differunt ſpecie. Docet id expreſsè Ariſtoteles 12. metaphyſicę text. 49. Vt enim probet non dari plures mundos, ac plures cœlos ſolo numero diuerſos, ſic argumentatur. Si darentur plures mundi, ac plures cœli ſolo numero diuerſi deberent dari plures primi motores talium cœlorum ſolo numero diuerſi; ſed non poſſunt dari plures primi motiores ſolo numero diuerſi; ergo &c. Minorem probat per hęc verba: *quæ ſunt numero plura, ea materiam habent. At quidditas prima materiei eſt expers, eſt enim actus; id ergo, quod primum mouet, cum ſit immobile, vnum eſt, & ratione, & numero; & id ergo quod ſemper continueque mouetur, vnum eſt ſolum; vnum igitur tantummodo cœlum eſt*; ergo ſecundum Ariſtotelem ſubſtãtiæ complete ſolo numero diuerſę habent materiam, ac proinde ſubſtantiæ completę immateriales, quales ſunt Intelligentiæ, non poſſunt differre ſolo numero. Ariſtotelem ſequitur Sanctus Thomas prima parte, queſt. 50. art. 4. 2. contra gentes capite 92. & pluribus aliis locis. Scotus verò, licet putet poſſe dari plures Angelos eiuſdem ſpeciei, fatetur ingenuè Ariſtotelem docuiſſe oppoſitum.

Probatur Ariſtotelis ſententia ex

principiis positis de differentia specifica, vel purè indiuiduali. Si plures Angeli differrent solo numero, vel essent omninò similes in omnibus prædicatis per se, & necessariò conuenientibus, vel essent dissimiles in aliquo prędicato per se, & necessariò conueniente; primum dici non potest, quia non essent perfectè intelligibiles, ac per se nominabiles nomine mentali proprio; ex secundo sequitur, quod differant specie; ergo angeli non possunt differre solo numero Probatur secunda pars minoris, quia vt dictum est quęstione precedente, qua sunt dissimilia in aliquo prædicato per se, & non solo ordine ad primò essendi in diuerso subiecto, vel à diuerso agente, vel sub diuersis accidentibus loci temporis &c. eo ipso differunt specie sed Angeli sunt dissimiles in aliquo prædicato per se, & non in ordine, siue adaptatione ad subiectum, quia non sunt formæ vllius subiecti; non in ordine ad primo essendum à diuerso agente, quia formę separatę non possunt esse ab alio agente, quam à Deo per creationem; non per ordinem ad primò essendum diuerso tempore, quia formę separatę debent simül creari in creatione mundi; non per ordinem ad primò essendum diuerso loco, quia formę se-

para-

paratę sicut non debent ordinari per tempora, sic neque per loca, cum ordinatio localis per se conueniat solis materialibus; idem proportionaliter dic de aliis accidentibus sexus, figuræ, staturę &c; ergo Angeli differunt specie.

Confirmatur primo: nam formę, quę non sunt ordinatæ ad formandum vllum subiectum, quales sunt Intelligentię, non possunt differre per ordinem ad subiectum, vel ad accidentia subiecti, adeoque si debent esse dissimiles per se, debent esse dissimiles in ratione formæ, pręscindendo ab ordine ad subiectum; sed omnis dissimilitudo, qua formę sunt dissimiles in ratione formę pręscindendo ab ordine ad subiectum est specifica; ergo in formis separatis non potest dari alia dissimilitudo, ac differentia, quam specifica. Minor probatur inductione: nam dissimilitudo, per quam figuræ differunt in ratione figuræ, præscindendo ab ordine ad subiectum, est specifica; ita figura rotunda, & quadrata, quia sunt per se dissimiles in ratione figuræ prescindendo ab ordine ad subiectum, differunt specie, licet rotunditas aurea, & argentea, quia differunt solum in ordine ad subiectum, differant solo numero. Similiter dissimilitudo, qua colores differunt in ratione colorum præscin-

dendo ab ordine ad subiectum, est specifica, ideoque albedo, & rubedo differunt specie, quia differunt in ratione coloris præscindendo à subiecto, licet albedo niuis, & lactis non differant specie, quia differunt solum in ordine ad subiectum; idemque dic de aliis formis; sed formæ separatæ non possunt esse inter se dissimiles, nisi in ratione formæ prescindendo ab ordine ad subiectum, cum non ordinentur ad vllum subiectum; ergo non possunt differre nisi specie.

Confirmatur secundo, quia formæ intellectiuæ non ordinatæ ad materiam nõ possunt per se differre, nisi in ratione formæ intellectiuę; sed differentię in ratione formę intellectiuæ desumuntur ex diuerso modo intelligendi, sicut differentiæ in ratione figurę desumuntur ex diuerso modo figuræ; ergo Intelligentiæ non possunt per se differre, & esse dissimiles, nisi per differentias desumptas ex diuerso modo intelligendi; sed differentiæ desumptæ ex diuersis modis intelligendi sunt specificæ, sicut sunt specificæ differentię formarum sensitiuarũ desumptę ex diuersis modis sentiendi; ergo Angeli non possunt differre nisi specificè, ac proinde omnes Angeli differunt specie per varios modos intelligen-

gendi vniuerſaliores, & vniuerſaliores. Infima enim ſpecies Angelorum poterit vnico actu e. g. cognoſcere diſtinctè cẽtum obiecta: ſecunda ſpecies erit vniuersalior in cognoſcendo, & poterit vnico actu cognoſcere centum quinquaginta; tertia ſpecies erit adhuc vniuerſalior, & poterit cognoſcere etiam ducenta; & quia numeri poſſibiles ſunt maiores, & maiores in infinitum, nec eſt poſſibilis numerus finitus omnium maximus, ideò modi intelligendi vniuerſaliores, & vniuerſaliores ſunt plures, & plures in infinitum, ac proinde ſpecies angelorum poſsibiles ſunt plures, & plures in infinitum, nec in formis ſeparatis datur ſpecies omnium perfectiſsima, licet in formis ordinatis ad materiam detur perfectiſsima, quæ eſt anima rationalis, & licet ſpecies ſubſtãtiales poſsibiles rerum materialium fortaſſe ſint ſolum finitæ inter primam, & vltimam, ita vt infima ſpecies ſubſtantialis ſit infimum elementum, quod videtur terra, ſuprema ſit ſpecies animalis perfectiſſimi, quod eſt homo.

Confirmatur tertio, quia eo ipſo, quod aliquę formæ per intellectum ſunt abſtractæ à materia, & ab ordine ad materiam, atque eius accidentibus, conſtituuntur vnę, & per intellectum non di-

uisæ in plura indiuidua: e. g. eo ipso, quod concipiam albedinem abstrahendo ab hoc, quod sit albedo lactis, vel niuis, constituo illam indiuisam, & vnam ergo eo ipso, quod dentur formæ à parte rei separatæ à materia, & ab ordine ad materiam, à parte rei sunt vnę, & indiuisæ in plura indiuidua; sed species Angelorum à parte rei sunt separatæ à materia, & ab ordine ad materiam; ergo sunt indiuisæ, & vnæ, nec in iis datur vlla multitudo indiuiduorum.

Porrò in hoc principio, quod multiplicitas indiuiduorum eiusdem speciei habetur solum per ordinem ad materiã, consenserunt duo principes philosophorum Aristoteles, & Plato. Plato enim, qui posuit formas, siue ideas rerum materialium separatas à materia, e.g. hominem separatum à materia, equum separatum à materia, dixit tales formas separatas esse vnicas in specie, nec diuisas in plura numero indiuidua: ita homo separatus à materia secuudum Platonem est vnicus homo, licet dentur plures homines in materia. Aristoteles verò, licet Platonem impugnauerit, in quantũ docuit dari formas separatas rerum materialium, hoc est per se hominem sine materia, per se equum sine materia; neque enim potest dari homo sine carnibus,

bus, & ossibus, sine capite, & membris, adeoque sine materia; adhuc concedit formas rerum immaterialium, quales sunt Intelligentiæ, esse separatas à materia, & ab ordine ad materiam, easque esse vnicas in specie, quia multiplicatio indiuidualis formarum habetur solum per ordinem ad materiam, vel subiectum.

Ad 1. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est manifesta. Natura generica nihil aliud est, quam natura indeterminata, ac determinabilis ad plures species; ergo implicat in terminis, quod detur genus non multiplicabile in plures species, sed determinatum ad vnicam speciem; at natura specifica est natura perfecta, determinata, ac formata; ergo non est contra rationem naturæ specificæ, quod non sit vlterius determinabilis, ac perfectibilis per plures indiuiduationes. Addo, quod cum natura specifica consistat in hoc, vt sit natura determinata, perfecta, & formata, quo magis est determinata, formata, ac perfecta, eo magis participat rationem naturæ specificę; sed magis est determinata, perfecta, & formata, cum non potest vlterius determinari, formari, ac perfici per plures differentias indiuiduales, quam cum adhuc est deter-

minabilis, formabilis, ac perfectibilis per differentias indiuiduales; ergo non solum non repugnat, sed etiam prodest ad hoc, vt natura sit perfectius specifica, quod non sit multiplicabilis. Natura igitur specifica cum est materialis, vel ordinata ad materiam, quia ipsa materialitas importat quãdam indeterminationem essendi sub diuersis circunstanciis loci, temporis, & aliorum accidentium materialium, est vlterius determinabilis per plures differentias indiuiduales, per quas adaptetur his potius circunstantiis, quam aliis; cum verò est immaterialis, & formalis, nec habens vllum ordinem ad materiam, tum est omninò determinata, perfecta, ac formata, ideoque non potest vlterius determinari per plures differentias numericas, & est immultiplicabilis.

Ad 2. Concedo maiorem, & nego minorem. Primò enim non restringitur diuina omnipotentia, cum ita aliquid illi negatur, vt afferatur ratio cur negetur; e. g. cum dicitur Deum non posse facere infinitum, & affertur ratio, cur non posit, non restringitur diuina omnipotentia; sed in casu nostro affertur ratio, cur Deus non posit facere plures Intelligentias eiusdem speciei;

ergo

ergo &c. Secundo, tum diuina omnipotentia non restringitur, sed potius ampliatur, cum ita negamus illi aliquid minus, vt concedamus aliquid maius, & in quo magis eluceat virtus diuina; sed negando Deum posse producere plura indiuidua in speciebus immaterialibus, dicimus posse producere species immateriales ita perfectas, ac determinatas, vt non sint vlterius perfectibiles, ac determinabiles per plures differentias numericas; hoc autem quia spectat ad perfectionem speciei, est maius, quam multiplicabilitas numerica indiuiduorũ; ergo non restringimus, sed ampliamus diuinam omnipotentiam; eo pacto, quo asserentes Deum non posse diuidere animam rationalem, non restringimus, sed ampliamus diuinam omnipotentiam, dicentes posse producere animam simplicem, ac partibus carentem, adeoque indiuisibilem. Quædam igitur licet significentur vocabilis impotentię, secundum rem ipsam sunt potentiæ; e. g. Deum nõ posse mori non est impotentia, sed potentia; sic Deum non posse producere plures Angelos eiusdem speciei non est impotentia, sed potentia creandi species Angelorum ita perfectas, vt non sint perfectibiles per differentias indiuiduales.

Ad

Ad 3. Concedo maiorem, & distinguo minorem; non posse habere similem in sola natura specifica est prædicatum proprium solius Dei, nego minorem; non posse habere similem in vlla ratione vniuoca, sed solum in analogica, & cũ infinita distantia, & dissimilitudine, est prædicatum proprium Dei, concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Prędicatum proprium Dei, & incommunicabile cuilibet creaturæ est non posse habere similem in vlla ratione vniuoca, sed solum in analogica, & cũ infinita distantia, & excessu, cum creaturæ possint habere similem in aliqua ratione vniuoca, saltem generica, & sine infinita distantia, & excessu; ergo ex eo, quod Angeli non possint habere simile in infima specie, non sequitur, quod participent vllum prędicatum proprium solius Dei.

Ad. 4. Nego antecedens; ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem quo ad illam partem, in qua dicitur, quod integræ species debent esse indefectibiles non solum physicè, sed etiam moraliter. Disparitas est, quia, si species integrę deficerent physicè, eo ipso vniuersitas rerum amitteret physicam perfectionem talis speciei, & talis defectus non compensaretur alio bono

æqui-

æquiualente; ergo vt rerum vniuerſitas retineat ſuam perfectionem integram, ſpecies debent eſſe indefectibiles phyſicè. At ſi ſpecies aliqua deficiat moraliter per peccatum, adhuc remanet in rerum natura perfectio phyſica talis ſpeciei; ergo rerum vniuerſitas remanet phyſicè perfecta. Defectus verò moralis compenſatur abundè per bonum punitionis inflictę peccatori, vel per alia bona, quæ Deus elicit ex peccato. Vt enim ſæpè docet Sanctus Auguſtinus, quē ſequuntur omnes ſcholaſtici, Deus peccata non permitteret, niſi mala peccati compenſaturus eſſet aliis bonis. Hinc eſt, vt non ſolum non ſit contra perfectionem vniuerſi, quod dentur peccata, ſed potius ad perfectionem vniuerſi neceſſe ſit, quod dentur peccata iuxta illa ſcripturæ, *neceſſe eſt, vt veniant ſcandala, oportet, & hæreſes eſſe*. Ratio eſt, quia ad perfectionem vniuerſi requiritur, vt dentur in eo plures ſpecies bonorum, quę dari non poſſunt niſi ex ſuppoſitione peccati. Vt enim docet Sanctus Thomas tertio contra gentes capite 71. *Non eſſet patientia iuſtorum, ſi non eſſet malignitas perſequentium, nec eſſet locus iuſtitiæ vindicatiuæ, ſi delicta non eſſent*.

Concedo quod Angeli ſunt ſociales, & ad vitam intellectualem indigent con-

ſor-

ſortio aliorum Angelorum, cum quibus amicabiliter viuant. At nego, quod amicitia perfecta non poſſit intercedere, niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Ratio eſt, quia perfecta amicitia eſt *mutuus amor non latens, communicatiuus ſecretorum cordis, & omnium bonorum*; ſed licet Angeli ſpecie differant, adhuc ſecundum ſuam naturam ſunt ita coordinati, vt poſsit inter ipſos dari mutuus amor non latens communicatiuus ſecretorum cordis, & omnium bonorum; ergo poteſt inter Angelos etiam ſpecie differentes dari perfecta amicitia. Addo, quod cum datur talis coordinatio, tum differentia ſpecifica non ſolum non nocet, ſed etiam prodeſt ad perfectionẽ amicitiæ. Tum enim amicitia eſt perfectior, & melior, cum eſt melior bonorũ communicatio, ex qua magis augeatur felicitas vtriuſque amici, ſiquidem finis amicitiæ eſt, vt per mutuam bonorum communicationem ita augeatur felicitas amicorum, vt quilibet ſit felix, non ſolum per bona propria, ſed etiam per bona amici; ſed inter amicos ſpecie differentes datur communicatio bonorum ſpectantium etiam ad ſpecies diuerſas; ex eo verò, quod amicus per amicitiam acquirat bona etiam ſpectantia ad diuerſam ſpeciem, ſit felicior, quam ſi acquire-

re-

reret bona spectantia solum ad eamdem speciem; ergo inter amicos diuersæ speciei dari potest melior communicatio bonorum, adeoque perfectior amicitia. Hinc patet disparitas, cur inter homines, & Angelos non posit dari connaturaliter amicitia perfecta, posit verò inter Angelos diuersę speciei. Ratio est, quia primum fundamentum amicitiæ connaturalis, ac perfectę est, vt possit quis intuitiuè cognoscere amicum suum, & non solum debeat illum cognoscere abstractiuè, & per ęnigmatta; sed homines pro statu huius vitæ non possunt intuitiuè cognoscere Angelos, sed solum abstractiuè, & per ænigmata; ergo non potest homo pro statu huius vitę connaturaliter inire perfectam amicitiam cum Angelis: at Angeli licet specie differẽtes vident se mutuò intuitiuè, & facie ad faciem; ergo possunt inire perfectam amicitiam.

Ad 5. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia accidentia immaterialia ordinantur ad subiectum; ergo licet non sint dissimilia per se in ratione formæ, possunt esse dissimilia in quantum adaptantur diuersis subiectis, adeoque possunt differre solo numero. Sicut igitur rotunditas, quæ est accidens materiale, per ordinem

ad

ad diuersa subiecta potest esse multiplex numero, eo pacto, quo rotunditas aurea solo numero differt à rotunditate argentea; sic intellectiones angelicæ, quę sunt accidentia immaterialia, possunt solo numero differre per hoc, quod alia sit intellectio vnius Angeli, alia alterius specie diuersi. At formæ completę immateriales non ordinantur ad vllum subiectum; ergo si sunt dissimiles, sunt dissimiles in ratione formę, adeoque differunt specie. Addo posse accidentia immaterialia differre per ordinem ad agentia diuersa; e. g. duę intellectiones, alioquin similes possunt esse dissimiles, eo quod altera sit intellectio elicita ab vno Angelo, alia ab altero. Possunt etiam esse dissimiles numero intellectiones eiusdem Angeli per ordinem ad diuersa tempora. Cum enim non omnes intellectiones Angelorum semper durent, alia potest connaturaliter ordinari ad hoc, vt primò sit tempore diuerso, cum de formis substantialibus immaterialibus completis valeat oppositum.

Dico tamen, quod supponendo, quod intellectus, & voluntas Angelorum sint potentiæ accidentales distinctæ ab eorũ substantia, probabile est, quod tales potentiæ sint immultiplicabiles in specie.

Ra-

Ratio est, quia intellectus Angelorum specie diuersorum specie differunt proportionaliter, ac ipsi Angeli, cum alter intellectus sit vniuersalior in cognoscendo, alter minus vniuersalis, vt dictum est in secunda cofirmatione conclusionis; sed ad vnum Angelum non adaptatur nisi vnicus intellectus; quandocumque enim est, debet semper habere eumdem intellectum; ergo omnes intellectus angelici specie differunt, ac sunt immultiplicabiles per differentias purè numericas.

Aliqui auctores admittunt etiam quosdam actus fidei ita immultiplicabiles, vt vno posito, non possit poni alius eiusdem speciei, licet loco illius potuisset poni alius eiusdem speciei. Si enim Deus reuelet Petro se velle vnicum actum fidei, & Petrus credat tali reuelationi per actum fidei, talis actus elicitus à Petro est essentialiter verus, atque adeò essentialiter incompossibilis cum alio actu fidei. Potuissent tamen loco talis actus poni alii actus fidei similes in specie etiam quo ad obiectum materiale, quia Deus loco reuelandi tale obiectum Petro potuisset id reuelare Paulo, vel alteri homini, & vnusquisque potuisset id credere per similem actum fidei essentialiter incomposibilem cum reliquis. Alii au-

nes angelicę indiuisibiles, quarum altera occupet integrum ſpatium huius aulę, altera ſolum dimidium talis ſpatii; ſed hęc ſecunda vbicatio ſpecie differt à prima, & tamen differt per ſolam negationem; ergo &c.

3. Si dicatur, quod aliquæ ſpecies accidentales differre poſſunt ab aliis per ſolam negationem, non verò ſpecies ſubſtantiales, contra eſt, quia ex dictis quęſt. 41. in ſecunda coufirmatione concluſionis Angeli inferiores ſpecie differunt à ſuperioribus per hoc, quod ſunt minus vniuerſales in cognoſcendo; ſed eo ipſo quod differunt per minorem vniuerſalitatem, differunt tantum per negationem maioris vniuerſalitatis; ergo ſpecies ſubſtantiales angelorum differunt à ſpeciebus ſuperioribus per puram negationem. Et confirmatur, quia ex Ariſtotele 10. metaphyſicę ſpecies præſertim ſubſtantiarum ſunt ſicut numeri; ſed numeri inferiores differunt à ſuperioribus per puram negationem; ergo & ſpecies.

4. Videtur vera ſententia, quam cum Porphyrio ſequuntur quidam peripathetici, quod vel omnes, vel aliquæ ſpecies infimæ non conſtituantur per differentiã infimam ſimplicem, & conuertibilem cum ſpecie; e. g. quod in homine non de-

letur differentia simplex conuertibilis cum homine; si enim daretur talis differentia, esset rationalitas; sed rationalitas conuenit etiam Angelis, cum etiam Angeli sint rationales; ergo homo non constituitur per differentiam simplicem, per quam differat ab omnibus aliis; ergo differentia, per quam homo differt ab omnibus aliis, est composita ex pluribus prædicatis communioribus: e. g. differentia hominis est esse rationale mortale; nam per rationale homo conuenit cum Angelis, & differt à brutis: per mortale conuenit cum brutis, & differt ab Angelis; per hoc verò, quod simul sit rationalis, & mortalis, differt à brutis simul, & Angelis.

5. Si dicatur, quod differentia rationalis significat posse discurrere dependenter à sensibus, adeoque non conuenit Angelis, qui carent sensibus; contra est quia sequeretur, quod differentia rationalis includeret in suo conceptu sensitiuitatem; sed sensitiuitas est genus hominis; ergo differentia includeret genus in suo conceptu; sed quod includit in suo conceptu genus, & differentiam, dicit totam essentiam; ergo differentia includit in suo conceptu totam essentiā non minus quam species; ergo prædicatur vt tota essentia non minus, quam spe-

Ad 3. Concedo maiorem, & distinguo minorem; non posse habere similem in sola natura specifica est prædicatum proprium solius Dei, nego minorem; non posse habere similem in vlla ratione vniuoca, sed solum in analogica, & cũ infinita distantia, & dissimilitudine, est prædicatum proprium Dei, concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Prędicatum proprium Dei, & incommunicabile cuilibet creaturæ est non posse habere similem in vlla ratione vniuoca, sed solum in analogica, & cũ infinita distantia, & excessu, cum creaturæ possint habere similem in aliqua ratione vniuoca, saltem generica, & sine infinita distantia, & excessu; ergo ex eo, quod Angeli non possint habere simile in infima specie, non sequitur, quod participent vllum prędicatum proprium solius Dei.

Ad. 4. Nego antecedens; ad probationem, concedo maiorem, & nego minorem quo ad illam partem, in qua dicitur, quod integræ species debent esse indefectibiles non solum physicè, sed etiam moraliter. Disparitas est, quia, si species integrę deficerent physicè, eo ipso vniuersitas rerum amitteret physicam perfectionem talis speciei, & talis defectus non compensaretur alio bono

æqui-

æquiualente; ergo vt rerum vniuersitas retineat suam perfectionem integram, species debent esse indefectibiles physicè. At si species aliqua deficiat moraliter per peccatum, adhuc remanet in rerum natura perfectio physica talis speciei; ergo rerum vniuersitas remanet physicè perfecta. Defectus verò moralis compensatur abundè per bonum punitionis inflictę peccatori, vel per alia bona, quæ Deus elicit ex peccato. Vt enim sæpè docet Sanctus Augustinus, què sequuntur omnes scholastici, Deus peccata non permitteret, nisi mala peccati compensaturus esset aliis bonis. Hinc est, vt non solum non sit contra perfectionem vniuersi, quod dentur peccata, sed potius ad perfectionem vniuersi necesse sit, quod dentur peccata iuxta illa scripturæ, *necesse est, vt veniant scandala, oportet, & hæreses esse.* Ratio est, quia ad perfectionem vniuersi requiritur, vt dentur in eo plures species bonorum, quę dari non possunt nisi ex suppositione peccati. Vt enim docet Sanctus Thomas tertio contra gentes capite 71. *Non esset patientia iustorum, si non esset malignitas persequentium, nec esset locus iustitiæ vindicatiuæ, si delicta non essent.*

Concedo quod Angeli sunt sociales, & ad vitam intellectualem indigent consor-

ſortio aliorum Angelorum, cum quibus amicabiliter viuant. At nego, quod amicitia perfecta non poſſit intercedere, niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Ratio eſt, quia perfecta amicitia eſt *mutuus amor non latens, communicatiuus ſecretorum cordis, & omnium bonorum*; ſed licet Angeli ſpecie differant, adhuc ſecundum ſuam naturam ſunt ita coordinati, vt poſsit inter ipſos dari mutuus amor non latens communicatiuus ſecretorum cordis, & omnium bonorum; ergo poteſt inter Angelos etiam ſpecie differentes dari perfecta amicitia. Addo, quod cum datur talis coordinatio, tum differentia ſpecifica non ſolum non nocet, ſed etiam prodeſt ad perfectioné amicitiæ. Tum enim amicitia eſt perfectior, & melior, cum eſt melior bonorũ communicatio, ex qua magis augeatur felicitas vtriuſque amici, ſiquidem finis amicitiæ eſt, vt per mutuam bonorum communicationem ita augeatur felicitas amicorum, vt quilibet ſit felix, non ſolum per bona propria, ſed etiam per bona amici; ſed inter amicos ſpecie differentes datur communicatio bonorum ſpectantium etiam ad ſpecies diuerſas; ex eo verò, quod amicus per amicitiam acquirat bona etiam ſpectantia ad diuerſam ſpeciem, fit felicior, quam ſi acqui-
re-

reret bona spectantia solum ad eamdem speciem; ergo inter amicos diuersæ speciei dari potest melior communicatio bonorum, adeoque perfectior amicitia. Hinc patet disparitas, cur inter homines, & Angelos non possit dari connaturaliter amicitia perfecta, possit verò inter Angelos diuersę speciei. Ratio est, quia primum fundamentum amicitiæ connaturalis, ac perfectę est, vt possit quis intuitiuè cognoscere amicum suum, & non solum debeat illum cognoscere abstractiuè, & per ęnigmatta; sed homines pro statu huius vitæ non possunt intuitiuè cognoscere Angelos, sed solum abstractiuè, & per ænigmata; ergo non potest homo pro statu huius vitę connaturaliter inire perfectam amicitiam cum Angelis: at Angeli licet specie differētes vident se mutuò intuitiuè, & facie ad faciem; ergo possunt inire perfectam amicitiam.

Ad 5. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia accidentia immaterialia ordinantur ad subiectum; ergo licet non sint dissimilia per se in ratione formæ, possunt esse dissimilia in quantum adaptantur diuersis subiectis, adeoque possunt differre solo numero. Sicut igitur rotunditas, quæ est accidens materiale, per ordinem ad

ad diuersa subiecta potest esse multiplex numero, eo pacto, quo rotunditas aurea solo numero differt à rotunditate argentea; sic intellectiones angelicæ, quę sunt accidentia immaterialia, possunt solo numero differre per hoc, quod alia sit intellectio vnius Angeli, alia alterius specie diuersi. At formæ completę immateriales non ordinantur ad vllum subiectum; ergo si sunt dissimiles, sunt dissimiles in ratione formę, adeoque differunt specie. Addo posse accidentia immaterialia differre per ordinem ad agentia diuersa; e. g. duę intellectiones, alioquin similes possunt esse dissimiles, eo quod altera sit intellectio elicita ab vno Angelo, alia ab altero. Possunt etiam esse dissimiles numero intellectiones eiusdem Angeli per ordinem ad diuersa tempora. Cum enim non omnes intellectiones Angelorum semper durent, alia potest connaturaliter ordinari ad hoc, vt primò sit tempore diuerso, cum de formis substantialibus immaterialibus completis valeat oppositum.

Dico tamen, quod supponendo, quod intellectus, & voluntas Angelorum sint potentiæ accidentales distinctæ ab eorũ substantia, probabile est, quod tales potentiæ sint immultiplicabiles in specie.

Ra-

Ratio est, quia intellectus Angelorum specie diuersorum specie differunt proportionaliter, ac ipsi Angeli, cum alter intellectus sit vniuersalior in cognoscendo, alter minus vniuersalis, vt dictum est in secunda cofirmatione conclusionis; sed ad vnum Angelum non adaptatur nisi vnicus intellectus; quandocumque enim est, debet semper habere eumdem intellectum; ergo omnes intellectus angelici specie differunt, ac sunt immultiplicabiles per differentias purè numericas.

Aliqui auctores admittunt etiam quosdam actus fidei ita immultiplicabiles, vt vno posito, non possit poni alius eiusdem speciei, licet loco illius potuisset poni alius eiusdem speciei. Si enim Deus reuelet Petro se velle vnicum actum fidei, & Petrus credat tali reuelationi per actum fidei, talis actus elicitus à Petro est essentialiter verus, atque adeò essentialiter incompossibilis cum alio actu fidei. Potuissent tamen loco talis actus poni alii actus fidei similes in specie etiam quo ad obiectum materiale, quia Deus loco reuelandi tale obiectum Petro potuisset id reuelare Paulo, vel alteri homini, & vnusquisque potuisset id credere per similem actum fidei essentialiter incomposibilem cum reliquis. Alii au-

auctores putant impoſsibiles eſſe tales reuelationes, atque adeò tales actus fidei. Sed quia reſolutio quæſtionis pendet ex principiis theologicis, omittenda eſt hoc loco.

Ad 6. Angeli ſunt immultiplicabiles ratione perfectionis admixtæ cum aliqua imperfectione. Eſt autem hæc perfectio, quod ſunt formæ non ordinatę ad vllum ſubiectum, propter ſuam limitationem non potẽtes eędem numero ſubſiſtere in pluribus perſonis. Quia enim ſunt formę non ordinatæ ad ſubiectum, dari nõ poſſunt plures naturæ angelicæ eiuſdem ſpeciei, ſicut dari non poſſunt plures naturę diuinæ; quia verò propter ſuam limitationem non poſſunt ſubſiſtere in pluribus perſonis, non poſſunt dari plures perſonæ angelicæ ſolo numero diuerſæ, cum ex oppoſita ratione dari poſſint plures perſonæ diuinæ ſolo numero diſtinctæ. At formę ordinatę ad materiam ſunt multiplicabiles propter ordinem ad materiam.

Pri-

Vtrum omnes ſpecies conſtituantur per differentias poſitiuas, ac ſimplices. Quæſtio XLII.

PRimò videtur, quod non omnes ſpecies conſtituantur per differentias poſitiuas, ſed aliquæ conſtituantur differentiis purè negatiuis, ac defectiuis; nā indiuidua poſſunt conſtitui per differentias indiuiduales purè negatiuas; ergo etiamſpecies.

2. Poſſunt dari duę cognitiones, quarumvna cognoſcat ſolum hominem, altera cognoſcat hominem æquali claritate, ac prima, & prętereа cognoſcat etiam equum; ſed in hoc caſu cognitio cognoſcens ſolum hominem ſpecie differt à cognitione cognoſcente ſimul hominem, & equum, & tamen non differt in vlla differentia poſitiua, ſed ſolum in negatione, per quam ita cognoſcit hominem, vt non cognoſcat equum, cum altera cognoſcat etiam equum; ergo aliqua ſpecies cognitionis conſtituiturper differentiam purè negatiuam. Idem argumentum fieri poteſt de vbicationibus, durationibus, & quibuſdam aliis accidentibus. Poſſunt enim dari duæ vbicatio-

nes angelicę indiuisibiles, quarum altera occupet integrum ſpatium huius aulę, altera ſolum dimidium talis ſpatii; ſed hęc ſecunda vbicatio ſpecie differt à prima, & tamen differt per ſolam negationem; ergo &c.

3. Si dicatur, quod aliquæ ſpecies accidentales differre poſſunt ab aliis per ſolam negationem, non verò ſpecies ſubſtantiales, contra eſt, quia ex dictis quęſt. 41. in ſecunda confirmatione concluſionis Angeli inferiores ſpecie differunt à ſuperioribus per hoc, quod ſunt minus vniuerſales in cognoſcendo; ſed eo ipſo quod differunt per minorem vniuerſalitatem, differunt tantum per negationem maioris vniuerſalitatis; ergo ſpecies ſubſtantiales angelorum differunt à ſpeciebus ſuperioribus per puram negationem. Et confirmatur, quia ex Ariſtotele 10. metaphyſicę ſpecies præſertim ſubſtantiarum ſunt ſicut numeri; ſed numeri inferiores differunt à ſuperioribus per puram negationem; ergo & ſpecies.

4. Videtur vera ſententia, quam cum Porphyrio ſequuntur quidam peripathetici, quod vel omnes, vel aliquæ ſpecies infimæ non conſtituantur per differentiã infimam ſimplicem, & conuertibilem cum ſpecie; e. g. quod in homine non de-

letur differentia simplex conuertibilis cum homine; si enim daretur talis differentia, esset rationalitas; sed rationalitas conuenit etiam Angelis, cum etiam Angeli sint rationales; ergo homo non constituitur per differentiam simplicem, per quam differat ab omnibus aliis; ergo differentia, per quam homo differt ab omnibus aliis, est composita ex pluribus prædicatis communioribus: e. g. differentia hominis est esse rationale mortale; nam per rationale homo conuenit cum Angelis, & differt à brutis: per mortale conuenit cum brutis, & differt ab Angelis; per hoc verò, quod simul sit rationalis, & mortalis, differt à brutis simul, & Angelis.

5. Si dicatur, quod differentia rationalis significat posse discurrere dependenter à sensibus, adeoque non conuenit Angelis, qui carent sensibus; contra est quia sequeretur, quod differentia rationalis includeret in suo conceptu sensitiuitatem; sed sensitiuitas est genus hominis; ergo differentia includeret genus in suo conceptu; sed quod includit in suo conceptu genus, & differentiam, dicit totam essentiam; ergo differentia includit in suo conceptu totam essentiā non minus quam species; ergo prædicatur vt tota essentia non minus, quam spe-

ſpecies contra dicta quęſt. 37.

Reſpondeo duas in titulo propoſitas eſſe quæſtiones. Prima an omnes ſpecies conſtituantur per differentiam poſitiuã. Secunda an omnes conſtituantur per differentiam ſimplicem, & conuertibilem.

Quo ad primam quæſtionem certum videtur primò creaturas in quantum differunt à Deo conſtitui per differentiam non poſitiuam, neque perfectiuam, ſed negatiuam, & defectiuam. Ratio eſt, quia Deus habet omnes perfectiones creaturarum, ſecluſis ſolis imperfectionibus, & defectibus ergo creaturę differunt à Deo non in quantum præcisè habent perfectiones, ſed in quantum habent imperfectiones, ac defectus; ſed imperfectiones ſunt differentiæ negatiuę, ac defectiuę; ergo creaturæ differunt à Deo per differentias negatiuas, ac defectiuas. Hinc eſt, vt creaturę nõ tam differant à Deo in eo, quod ſunt, quam in eo, quod non ſunt, ita vt prout differunt à Deo non tam ſint entia, quã non entia, & nihil.

Certum videtur ſecundo quaſdam creaturas poſſe inuicem differre non ſolum differentia poſitiua, & perfectiua, ſed etiam differentia negatiua, ac defectiua; e. g. homo, & equus non ſolum

diffe-

ifferunt rationalitate, & hinnibilitate, uę sunt differentię perfectiuæ, sed etiam iegatione rationalitatis, quę conuenit :quo, & negatione hinnibilitatis, quę :onuenit homini, quæ sunt differentiæ lefectiuæ.

Positis his, quæ videntur certa, duo :emanent dubia, alterum de nomine, alterum de re. Primum dubium de nomine est, vtrum res in quantum constituuntur per differentiam purè negatiuã, vocandæ sint species, ac dicendę sint specie differre, vel non. Respondeo negatiuè, si propriè loquamur. Ratio est, quia species vt species significat perfectionem, & pulchritudinem, non verò imperfectionem, ac defectum pulchritudinis; ergo differentia constitutiua speciei debet importare perfectionem, & pulchritudinem; ergo species non potest constitui per differentiam negatiuã, ac defectiuam, ac proinde quę differunt in sola negatione, ac defectu, in quantum differunt in sola negatione, ac defectu, non differunt specie, si propriè loquamur, sed potius differunt negatione speciei.

Hinc sequitur primò creaturas propriè non differre à Deo specie, sed negatione speciei, & perfectionis. Sequitur secundo malum vt malum non habe-

re ſpeciem, quia in quantum malum constituitur per differentiam defectiuã, in quantum verò constituitur per prędicata perfectiua, non eſt malum, ſed bonum. Sequitur tertio peccatum vt peccatum non tam eſſe ens, quam nihil, quia in ratione peccati constituitur per differentiam defectiuam. Sequitur quarto, quod equus, leo &c. non ſunt ſpecies, in quantum ſunt animalia irrationalia, quia in hac ratione conſtituuntur per negationem rationalitatis, ſed ſunt ſpecies, in quantum ſunt animal hinnibile, vel rugibile; rugibilitas verò, & hinnibilitas ſunt differentię perfectiuæ. Ideò Ariſtoteles dicit non bene ſpecies animalis aſſignari pennatum, & impennatum.

Secundum dubium de re eſt, vtrum dentur aliquę creaturæ conuenientes in omnibus prędicatis perfectiuis, ac differentes ſolum per hoc, quod altera careat aliqua perfectione, quam habet altera, ſiue dicenda ſit differre ſpecie, vel differre ſola negatione ſpeciei. Dico probabile eſt nullam creaturam differre ab altera ſolum per differentiam defectiuam, excepto peccato, quod fortaſſe differt ab actu bono per differentiam purè defectiuam, ideoque non poteſt à Deo intendi, ſed ſolum permitti.

Pro-

Probatur primò, quia nullum indiuiduum differt indiuidualiter ab altero per solam negationem; ergo nulla species, vel quasi species differt ab altera per solam negationem. Antecedens probatur primò, quia vt dictum est quæst. 40. indiuidua differunt per ordinem ad primo essendum in diuersis circunstantiis &c.; sed hic ordo non explicat puram negationem, sed differentiam positiuã, ac perfectiuam; ergo &c. Secundo probatur idem antecedens. Ponamus enim duo indiuidua hominis, e. g. Petrum, & Paulum. Si Petrus differret à Paulo per solam negationem, differret per negationem Pauleitatis; sed non differret per negationem negationis, sed per negationem prædicati positiui; ergo iam Pauleitas, seu indiuiduatio Pauli est prędicatum positiuum; ergo etiam Petreitas est prædicatum positiuum; indiuidua enim eiusdem speciei constituuntur pariformiter, atque adeò vel omnia constituuntur per negationem, vel omnia per indiuiduationem positiuam; non omnia per negationem, alioquin omnia constituerentur per negationem negationis, quod est absurdum; ergo omnia constituuntur per indiuiduationem positiuam. Tertio probatur idem antecedens: nam in quolibet indiuiduo da-

tur aliqua perfectio, per quam conuenit cum Deo, & differt ab aliis omnibus indiuiduis; ergo nullum indiuiduum differt ab altero per puram negationem, vel per purum defectum. Probatur antecedens: pono enim indiuiduum A ex vna parte, & pono ex alia parte collectionem omnium aliarum creaturarum possibilium contradistinctarum ab A, & hanc collectionem voco B. Sic arguo: indiuiduum A distinguitur per suam entitatem ab omnibus defectibus, & imperfectionibus B; sed distingui per suam entitatem ab omnibus defectibus, & imperfectionibus inclusis in B, est perfectio, qua A conuenit cum Deo, nam etiam Deus distinguitur per suam entitatem ab omnibus defectibus, & imperfectionibus B, & in qua A differt ab omnibus aliis indiuiduis, nam quodlibet aliud indiuiduum cum includatur in B, & non distinguatur à se ipso, & à suis defectibus, non contradistinguitur ab omnibus defectibus, & imperfectionibus inclusis in B; ergo indiuiduum A habet perfectionem, in qua conuenit cum solo Deo, & differt ab omnibus aliis indiuiduis; ergo indiuiduum A nõ differt ab vllo indiuiduo per puram negationem: idem argumentum valet de quolibet alio indiuiduo; ergo nullum in-

indiuiduum differt ab alio per puram negationem, & per differentiam purè defectiuam.

Probatur secundo vniuersaliter, quod nulla species, vel indiuiduum differre possit ab altero per differentiam purè negatiuam, quia ideò sunt possibiles plures species, & plura indiuidua, quia cum vnica species, & vnicum indiuiduum non possit exprimere infinitam perfectionem Dei, debuerunt esse plures species, & plura indiuidua: exempli gratia durationes sunt entitates ordinatæ ad exprimendam perfectionem diuinæ æternitatis; quia igitur non poterat vnica duratio esse æterna, & exprimere totam illam perfectionem, debuerunt esse possibiles durationes plures, & plures ad æternitatem exprimendam. Idem dic proportionaliter de vbicationibus, quæ sunt entitates ordinatæ ad exprimendam diuinam immensitaté &c; ergo nulla species, vel indiuiduum debuit esse possibile, quod non possit exprimere nouam perfectionem Dei; sed si aliqua species, vel indiuiduum differret ab alia specie, vel indiuiduo per puram negationem, talis species, vel tale indiuiduum nullam perfectionem exprimeret, quam non exprimeret alia species, vel indiuiduum; ergo non est possibi-

ſibilis ſpecies, vel indiuiduum differens ſola negatione. Confirmari poteſt inductione, qua conſtat creaturas etiam viliſſimas habere aliquas perfectiones, quibus carent perfectiſſimę: exempli gratia bruta habent perfectionem impeccabilitatis, qua carent creaturæ rationales, & intellectuales: res inſenſatę habent hanc perfectionem, vt ſint incapaces doloris, & miſeriæ, quæ perfectio conuenit Deo, & nulli creaturę cognoſcitiuæ &c.

Quo ad ſecundam queſtionem dicendum cum ſancto Thoma, Scoto, aliiſque communiter omnes ſpecies conſtitui per differentiam ſimplicem, & propriam illarum. Probatur modo argumentandi, qui dicitur mirabilis: ex ipſa poſitione aduerſariorum, quod ſpecies conſtituātur per differentias non ſimplices, ſed compoſitas, ſequitur, quod conſtituantur per differentias ſimplices; ergo omnes ſpecies conſtituuntur per differentias ſimplices. Probatur antecedens, ſupponendo cum Porphyrio, quod homo ſit animal rationale, mortale, adeoque conſtituatur per differentiam compoſitam ex animali rationali, & mortali: ex hoc ipſo ſequitur, quod conſtituatur per differentiam ſimplicem; ergo. &c. Probatur antecedens; nam tum conſti-

tue-

tueretur per differentiam simplicem, quando constitueretur per aliquod prædicatum essentiale simplex proprium solius hominis, per quod differret ab omnibus, quæ non sunt homo; sed constitueretur per tale prædicatum; ergo &c. Probatur minor: constituitur per hoc, quod sit animal simul rationale, & mortale; sed simultas, per quam est animal simul rationale, & mortale, est prædicatum simplex, per quod differt homo ab omnibus, quæ non sunt homo; ergo ex eo, quod homo non constituatur per differentiam simplicem, sequitur, quod constituatur per differentiam simplicem: idē argumentum valet de omnibus speciebus; ergo omnes species constituuntur per differentiam simplicem.

Addo inductione constare prædicata non temerè coniungi, sed semper vni prędicato generico, determinabili, ac se habenti per modum materiæ, aduenire alterum prædicatum essentiale, determinatiuum, ac se habens ad modum formæ. Ita in plantis naturę corporeæ aduenit vegetabilitas tanquam differentia, & forma determinans, & actuans naturam corpoream, atque vtēs corporeitate ad operationes vitę vegetatiuę; in animalibus naturæ vegetabili aduenit differentia sensitiuitatis illam determinans,

 & vtens

& vtens vita vegetatiua ad operationes vitæ ſenſitiuæ; in homine animalitati, ſeu naturæ ſenſitiuæ aduenit rationalitas ſenſitiuitatem determinans, eaque vtens ad operationes vitæ intellectiuæ, ideoque rationalitas propriè ſumpta eſt differentia propria hominis, & non communis Angelis, vt docuit Porphyrius, quia eſt determinatio animalis ad hoc, vt poſsit intelligere discurrendo per abſtractionem à ſenſibus: idem valet in omnibus ſpeciebus; ergo in omnibus ſpeciebus gradus ſuperiores determinantur per inferiores ordinatim vſque dum deueniatur ad vltimam differentiã. Hanc verò conſtitutionem ſpecierum patet non ſolum eſſe conformiorem inductioni, ſed etiam pulchriorem, & digniorem diuina ſapientia, & magis conducentem ad perfectionem vniuerſi, dum vnaquæque ſpecies præter prædicata communia addit aliquod prædicatum, & aliquam perfectionem propriam.

Ad 1. Argumentum retorquetur. Sicut enim indiuidua non conſtituuntur per differentiam purè negatiuam, ſic neque ſpecies.

Ad 2. Concedo maiorem, & nego minorem. Cognitio enim, quæ cognoſcit solum hominem, non differt à cognitione, quę cognoſcit ſimul hominem,

&

& equum, per solam negationem repręsentandi equum, sed etiam per predicatum perfectiuum independentiæ ab equo tanquam ab obiecto specificatiuo. Pendere enim ab equo tanquam ab obiecto specificatiuo est prædicatum defectiuum repugnans Deo, & independentia ab equo tanquam ab obiecto specificatiuo est prędicatum perfectiuum necessariò conueniens Deo. Proportionaliter vbicatio indiuisibilis occupans dimidium spatij non differt per solam negationem ab alia vbicatione indiuisibili occupante duplum spatij. Ratio est, quia ita rem esse, vt accipiat à causa hoc quod est esse in certo spatio, quod vocetur spatiũ A, est imperfectio, ac defectus repugnans Deo. E conuersò ita rem esse, vt non accipiat à causa hoc quod est esse in spatio A, est perfectio necessariò conueniens Deo, qui ita est, vt à nulla causa accipiat esse in spatio A; sed vbicatio occupans spatium duplo maius, hoc est spatium B, & spatium A, ita est, vt accipiat à causa esse in spatio A; vbicatio occupans dimidium spatii, hoc est solum spatium B, ita est, vt non accipiat à causa esse in spatio A; ergo vbicatio indiuisibilis occupans spatium duplo minus differt ab vbicatione occupante spatium duplo maius, non per puram

negationem, sed etiam per differentiam perfectiuam. Idem dic de durationibus. Vniuersaliter species imperfectiores ita sunt, vt non accipiant à causa aliquem gradum perfectionis, quem accipiunt species perfectiores; sed ita rem esse, vt non accipiat à causa certum gradum, perfectionis, est perfectio necessariò conueniens Deo, & sine qua Deus esset imperfectus; ergo omnes species etiam imperfectiores differunt ab aliis speciebus per differentiam perfectiuam. Hinc est, vt perfectionem diuinam non solum imitentur res perfectiores, & perfectiores, sed etiam imperfectiores, & imperfectiores. Potest enim in Deo considerari duplex perfectio. Prima est, vt habeat omnem gradum perfectionis. Secunda est, vt ita sit, vt nihil accipiat à causa. Creaturę quò perfectiores sunt, eo magis imitantur primam perfectionem Dei, quę est habere omnes perfectiones: at eo magis recedunt à secunda perfectione, quæ est ita esse, vt nihil accipiat ab vlla causa; nam quo perfectiores sunt, eo magis, & magis accipiunt à causa. At creaturæ quo minus sunt perfectæ, eò minus imitantur perfectionem diuinam, quæ est habere omnes perfectiones, sed eo magis imitantur perfectionē, quæ est ita esse, vt nihil accipiat

ab

ab vlla causa ; nam quo sunt minus perfectæ, eo minus, & minus accipiunt à causa. Hinc est, vt sicut docet S. Dionysius de diuinis nominibus capite 9. Deus in diuinis scripturis non solum laudetur vt magnus, sed etiam vt paruus, subtilis, & tenuis, ideoque comparatur sibilo aurę tenuis. Ratio est quia non solum habet perfectionem rerum magnarum consistentem in hoc, vt habeant magnam perfectionem, sed etiam perfectionem rerum paruarum consistentem in hoc, quod parum accipiant à causa, cum nihil accipiat, imò nec possit accipere. Nota autem quod præcisè *non accipere à causa* non est perfectio: et ideò *nihil* licet non accipiat à causa, adhuc nullam habet perfectionem. Et ratio est, quia omnis perfectio fundari debet in entitate. Est igitur perfectio *ita esse, vt res nihil accipiat à causa*, ideoque Deus est infinitè perfectus; & similiter est perfectio *ita esse, vt res parum accipiat à causa*.

Ad 3. Angeli minus vniuersales in cognoscendo habent hanc perfectionem, vt non accipiant à causa perfectionem maioris vniuersalitatis. Ex hoc sequuntur aliæ, scilicet quod minus debent causæ, & in hoc imitantur perfectionem diuinam, per quam nihil debet vlli causæ.

Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? quod tenentur ad prestanda causæ minora obsequia: quod sicut operantur cum minori cognitione, sic minus peccant, & merentur minorem pœnam &c. Proportionaliter dico, quod numeri minores differunt à maioribus non per solam negationem, sed etiam per differentiam positiuam. Numerus enim binarius exempli gratia habet hanc perfectionem, vt sit simplicior ternario, ac pendens à paucioribus partibus, & per hoc magis accedit ad diuinam simplicitatem, & independentiam ab omnibus partibus. Ex hac verò differentia sequuntur etiam aliæ differentię in aliis perfectionibus, & proprietatibus. Deus igitur mirabili quadam ratione suas perfectiones manifestat non solum in magnis, sed etiam in paruis.

Ad 4. Patet ex dictis omnes species constitui per differentias simplices.

Ad 5. Differentia rationalis est determinatio animalis, vt posit intelligere, ac discurrere per abstractionem à sensibus. Dum opponitur, quia sequitur, quod rationalitas includat genus sensitiuitatis, distinguo: includit genus tanquam id, quod determinat, concedo; tanquam id quod est, seu quo constituitur, nego. Omnis differentia per se includit genus tan-

tanquam id, quod determinat ex doctrina Aristotelis 7. metaphysicę textu 42. 43., & sequentibus. Ratio est, quia differentia est determinatio formalis rationis genericæ; ergo includit in suo conceptu rationem genericam tanquam id, quod determinat, eo pacto, quo simitas quia est determinatio nasi ad hoc, vt sit concauus, includit in suo conceptu nasum tanquam id, quod determinat. At differentia generis vniuoci non includit in suo conceptu genus tanquam id, quod formaliter est; exempli gratia rationalitas non est formaliter animal, sed determinatio animalis, ideoque est differentia vniuoca. Hinc est, vt differentia vniuoca non prædicetur vt tota essentia, sed vt pars essentiæ connotans aliam compartem tanquam id quod determinat.

Vtrum proprium, & accidens conuenienter definiantur. Quæstio XLIII.

PRimo videtur, quod non conuenienter definiatur proprium tanquam præ-

dicabile contradistinctum ab accidente. Nam omne proprium est accidens; ergo non debet definiri tanquam prædicabile contradistinctum ab accidente, sed tanquam species accidentis.

2. Videtur, quod nec accidens conuenienter definiatur tanquam prędicabile contradistinctum à genere, & specie. Nam omne accidens prędicabile de multis vel est genus, vel species, e.g. albedo est species prædicabilis in quid de pluribus albedinibus solo numero diuersis; color est genus prædicabile in quid de pluribus coloribus specie diuersis.

3. Videtur, quod non conuenienter definiatur proprium ex Porphyrio *quod conuenit omni, soli, & semper, & conuersim de re prædicatur*. Hæc enim definitio non conuenit omni proprio; ergo non est bona. Probatur antecedens: nam ridere, & flere propria sunt hominis; sed homines non semper flent, nec semper rident; ergo &c. Confirmatur, quia Aristoteles quinto topicorum, capite secundo circa finem, definit proprium, *quod non indicat quidditatem rei, soli autem inest, & conuersim de re prædicatur*; in qua definitione non requirit ad propriũ, vt conueniat semper; ergo malè Porphyrius addit particulam *semper*.

4.

4. Videtur, quod nec conuenientes sint definitiones, quibus Porphyrius definit accidens, *quod potest adesse: & abesse præter subiecti corruptionem, & quod contingit eidem inesse, & non inesse*. Nam nigredo est accidens Corui; sed non potest separari à Coruo sine ipsius corruptione; ergo &c. Confirmatur, quia dantur accidentia destructiua subiecti, vt mors, morbus lethalis &c, quæ non possunt adesse subiecto sine subiecti corruptione; dantur etiam accidentia requisita ad conseruationem subiecti, quæ non possunt abesse à subiecto prçter corruptionem subiecti; e. g. calor vitalis est accidens requisitum ad conseruationem animalis, adeoque non potest abesse ab animali sine corruptione animalis; ergo &c.

Respondeo, quod cum hactenus egerimus de tribus prædicabilibus essentialibus, agendum est de duobus accidentalibus; & quia accidens vt sic diuiditur in accidens proprium, quod est quartum prædicabile, & in accidens commune, quod est quintum predicabile, postulat ordo doctrinæ, vt prius explicemus quid sit accidens vt sic, deinde descendamus ad explicandum quid sit accidens proprium, & commune.

Ac-

Accidens poteſt ſumi dupliciter, phyſicè nimirùm, & logicè. Accidens phyſicè eſt, *quod neque eſt ſubſtantia, neque eſt pars conſtitutiua ſubſtantiæ, ſed eſt naturaliter ordinatum ad exiſtendum in ſubſtantia, vel in aliquo ente, quod debeat exiſtere in ſubſtantia, tanquam in ſubiecto.* In hoc ſenſu ſpecies Euchariſticę, hoc eſt color panis, & vini, ſapor eorumdem &c. ſunt accidentia, quia non ſunt ſubſtantia panis, aut vini, neque alia ſubſtantia, neque ſunt partes conſtitutiuę vllius ſubſtantiæ, ſed ſunt entia naturaliter ordinata ad exiſtendum in ſubſtantia panis, & vini, licet miraculosè non exiſtant in vlla ſubſtantia, ſed exiſtant per ſe. Si verò modus miraculoſus, quo accidentia exiſtunt per ſe, diſtinguitur ab ipſis accidentibus euchariſticis, vt ex Sancto Thoma tertia parte quæſtione 77. artic 1. & Caietano dicetur quæſt. 36. phyſicæ, adhuc eſt accidens, quia licet non ordinetur ad exiſtendum in ſubſtantia, ordinatur ad exiſtendum in accidentibus panis, & vini, quæ accidentia ordinantur ad exiſtendum in ſubſtantia.

Iam, ſicut ex doctrina Ariſtotelis initio libri prędicamentorum duplex eſt ſubſtantia, prima, & ſecunda; ſubſtantia prima eſt indiuiduum, e. g. *Petrus*, ſub-

ſubſtantia ſecunda ſunt ſpecies, & genera, e. g. *Homo*, *Equus*, *Animal* &c, ſic dupliciter dicitur accidens, primo dicitur accidens, quod non eſt pars conſtitutiua ſubſtantiæ ſecundę, neque primæ; ſecundo quod non eſt pars conſtitutiua ſubſtantię ſecundæ, licet ſit pars conſtitutiua primæ. Hinc verò conciliantur diuerſi modi loquendi, per quos aliquando dicitur, quod ſuppoſitalitas eſt accidens naturę, indiuiduatio vltima eſt accidens, & quædam proprietas characteriſtica indiuidui; aliquando verò dicitur quod tum ſuppoſitalitas, tum indiuiduatio ſunt quid ſubſtantiale. Dicũtur eſſe accidens, & proprietas; quia non conſtituunt ſubſtantiam ſecundam: dicuntur ſubſtantiales, quia conſtituunt indiuiduum, quod eſt ſubſtantia prima. Quod autem dicitur proprietas, quia non conſtituit ſubſtantiam ſecundam, ſed conſtituit primam, non ſupponit radicem antecedentem, ex qua reſultet, quia primo conſtituit ipſam ſubſtantiã.

Accidens logicè eſt, *quod conuenit ſubiecto, & eſt de illo prædicabile in concreto tanquam aliquod non conſtitutiuum eſſentiæ talis ſubiecti*. In hoc ſenſu multa prædicata phyſicè ſubſtantialia, quia ſignificant ſubſtantiam, vel partem ſubſtantiæ, ſunt accidẽtalia logicè, quia nõ conſti-

stituunt essentiã subiecti . .E g.cũ dicitur *anima est vnita corpori*, prędicatum vniti est physicè substantiale, quia est pars substantię viuentis, vt anima sit vnita corpori; at est accidentale logicè, quia essentia animæ, quę est subiectum talis propositionis, non constituitur per hoc, vt sit actu vnita corpori. Similiter cum dicitur *materia est animata*, vel *substantialiter formata*, prędicatum animati, vel substantialiter formati est physicè substantiale, sed logicè accidentale. Idem dic de his prędicationibus, *substantia creata existit, homo existit, homo subsistit per propriam subsistentiam*. Licet enim prędicata *existentis*, ac *subsistentis* sint substantialia physicè, sunt accidentalia logicè, quia essentia creaturę non constituitur per hoc, quod actu existat, aut subsistat per propriam subsistentiam, cum possit non existere, & non subsistere per propriam subsistentiam. Sunt etiam physicè substantiales, sed logicè accidentales istæ prędicationes in Christo, *Verbum est homo*; *Deus est homo* &c, quia licet significent substantiam facientem vnum per se cum Verbo, tamen Verbum, quod est subiectum talium propositionum, non constituitur per hoc, quod sit homo.

Accidens logicum diuiditur in proprium quartum prædicabile, & in commu-

mune quintum prędicabile. Pro quo nota primo ex Porphyrio, quod proprium dicitur quadrupliciter. Primo dicitur proprium alicuius ſpeciei, quod accidit ſolis indiuiduis talis ſpeciei, ſed non omnibus; e. g. eſſe muſicum proprium eſt hominis, quia ſoli homines, licet non omnes ſunt muſici. Secundo dicitur proprium, quod accidit omnibus indiuiduis alicuius speciei, ſed non ſolis; e. g. eſſe bipedem, eſt proprium ſpeciei humanæ, quia omnes homines naturaliter debent eſſe bipedes, ſed non ſoli. Tertio dicitur proprium, quod conuenit omnibus, & ſolis, ſed non ſemper; e g. ridere proprium eſt hominis, quia omnes, & ſoli homines rident aliquando, ſed non ſemper. Quarto dicitur proprium, quod accidit omnibus, ſolis, & ſemper: e. g. eſſe riſibile, & flebile &c. propria ſunt hominis, quia omnes, & ſoli homines, ac ſemper ſunt riſibiles, & flebiles, licet non ſemper actu rideant, vel fleant. Hæc dicuntur propria quarto modo, ſeu propriè propria, & conſtituunt quartum prædicabile, cum propria tribus primis modis ſpectent ad accidens commune quintum prædicabile, vt patet ex Porphyrio, qui proponit vt exempla accidentis quinti prędicabilis propria ſecundo, & tertio modo. No-

Nota secundo, quod sicut dantur proprietates quarto modo speciei specialissimę, sic dantur proprietates specierum subalternarum, & generis etiam analogi: e. g. proprium quarto modo animalis est habere appetitum sensitiuum, quia omnia, ac sola animalia, ac semper habent appetitum sensitiuum, licet non semper appetant actu; proprium intellectualis est esse volitiuum ex eadem ratione: proprium entis, quod est genus analogum, est esse bonum, quia omne, & solum ens, ac semper est bonum: proprium corporis, quod est genus vniuocum, est esse quantum, quia omnia, & sola corpora, ac semper sunt quanta. Porrò quę sunt propria vno modo respectu vnius gradus, possunt esse propria alio modo respectu alterius gradus; e. g. esse appetitiuum est proprium hominis secũdo modo, quia conuenit omnibus hominibus, sed non solis, & est proprium animalis quarto modo, quia conuenit omnibus animalibus, solis, & semper; & est proprium viuentis primo modo, quia cõuenit solis viuẽtibus, sed nõ omnibus.

Sicut species alię sunt vniuersales, & multiplicabiles, aliæ non vniuersales & non multiplicabiles; sic propria quarto modo specierum multiplicabilium sunt multiplicabilia; propria quarto mo-

modo ſpecierum immultiplicabilium, ſunt immultiplicabilia. Definiri poteſt definitione metaphyſica proprium quartum prædicabile ſpeciei multiplicabilis. *Proprium quarto modo alicuius ſpeciei, vel generis eſt vnum aptum omnibus, & ſolis indiuiduis talis ſpeciei, vel generis, & ſemper ineſſe, tanquam prædicatum non conſtitutiuum eſſentiæ, ſed mutuò connexum cum eſſentia*; e. g. riſibile proprium eſt ſpeciei humanæ, quia eſt aptum ineſſe omnibus, & ſolis hominibus, tanquam aliquid nõ conſtitutiuum eſſentię hominis, neque enim eſſentia hominis conſtituitur per hoc, quod ſit riſibilis, ſed tanquam mutuo connexum cum homine, cum neque dari poſsit homo, qui non ſit riſibibilis, neque poſsit dari riſibile, quod nõ ſit homo. Definitione logica definiri poteſt proprium ad normam aliarum definitionum Porphyrii; *proprium ſpeciei, vel generis eſt prædicabile de omnibus indiuiduis talis ſpeciei, vel generis in quale conuertibiliter cum ſpecie, vel genere*. Prædicari in *quale* eſt prędicari tanquam aliquid non eſſentiale.

Proprietates quarto modo diuidi poſſunt primo in ſpecificas, & genericas, de quibus dictum eſt. Secundo in primas, & ſecundas. Primæ ſunt, quę oriũtur ab eſſentia immediatè, & non media

alia

ilia proprietate, secundę sunt, quæ oriũtur ab essentia media alia proprietate: exempli gratia in natura intellectiua prima proprietas videtur intellectus, qui resultat ex essentia immediatè: secũda proprietas videtur voluntas, quæ resultat mediante intellectu. Tertio diuidi possunt in proprietates dictinctas ab essentia realiter, & physicè, & in proprietates distinctas solum logicè, & per intellectum, quales sunt proprietates entis, quę ponuntur vnum, verum, bonum, ac solum logicè distinguuntur ab ente. Quarto diuidi possunt in proprietates inseparabiles ab essentia etiam de potentia absoluta, eo pacto, quo probabile est intellectum, & voluntatem neque de potentia absoluta posse separari à natura intellectiua; & inseparabiles solum naturaliter, separabiles verò de potentia absoluta, eo pacto, quo quantitas ita est proprietas corporis, vt possit supernaturaliter separari à corpore. Hęc doctrina est valdè necessaria ad scientiam de demonstratione. Nam in demonstratione potissima proprietates generum, & specierum demonstrari debent de generibus, & speciebus, cum quibus sunt mutuò connexæ: primæ proprietates demonstrari debent per essentiam, ac definitionem; secunda per primam

mam; tertia per ſecundam, & ſic de aliis, vt ex Ariſtotele 1. poſter. docent communiter ſcholaſtici.

Accidens commune quintum prędicabile definiri poteſt definitione metaphyſica, *vnum aptum ineſſe pluribus eiuſdem ſpeciei, vel generis tanquam non conſtitutiuum eſſentię, nec mutuò connexum cum eſſentia*; e. g. nigrum eſt accidens corui, quia eſt vnum aptum ineſſe pluribus coruis tanquam aliquid non conſtitutiuum eſſentiæ corui, nec mutuò connexum cum illa. Differt igitur accidens à tribus primis prędicabilibus, quod illa ſunt conſtitutiua eſſentiæ, cum accidens non ſit conſtitutiuum eſſentiæ; differt à proprio, quod proprium eſt mutuò connexum cum eſſentia, accidens verò non eſt mutuò connexum. Definitione logica definiri poteſt *vnum aptum prædicari de pluribus, tanquam aliquid non conſtitutiuum eſſentiæ, nec mutuò connexum cum eſſentia*: vel ad normam aliarum definitionum Prophyrii, *vnum prædicabile de pluribus in quale non conuertibiliter cū ſpecie, vel genere, reſpectu cuius dicitur accidēs.*

Debet aduerti primo, quod accidentia phyſica in concreto pręedicari poſſunt prædicatione tum accidentali, tum eſſentiali; in abſtracto verò prædicari poſſunt ſolum prædicatione eſſentiali gene-

nerica, vel specifica; e. g. coloratum in concreto prædicari potest prędicatione accidentali de homine, dicendo *homo est coloratus*; prædicari etiam potest prędicatione essentiali generica de pluribus coloratis specie diuersis, e. g. de albo, & nigro dicendo *album est coloratum, nigrum est coloratum*. At color in abstracto non potest prædicari prędicatione accidentali de homine, cum non possit dici *homo est color*, sed potest prędicari prædicatione essentiali, & generica de pluribus coloribus specie differentibus, dicendo *albedo est color, nigredo est color*.

Secundo debet aduerti, quod Deo non possunt conuenire prædicationes accidentales physicę, cum Deus sit incapax accidentium physicè inhærentiũ; possunt autem conuenire Deo prędicationes accidentales logicè, per quas illi tribuantur prædicata, quæ possunt Deo non conuenire, qualis est ista prędicatio, *Deus est creator, & redemptor mundi*. Potuisset enim nec creare, nec redimere mundum, & tunc nec esset creator, nec redemptor mundi.

Porphyrius affert tres alias definitiones accidentis communis per hęc verba. *Accidens autem est quod adest, & abest præter subiecti corruptionem. Diuiditur autem*

tem in duo; hoc enim ipsius separabile est, illud verò inseparabile. Dormire quidem separabile accidens est: nigrum verò inseparabiliter coruo, & æthiopi accidit. Potest enim intelligi & coruus albus, & æthiops mutans colorem, præter corruptionem subiecti. Definiunt autem sic quoque, accidens est quod contingit eidem inesse, & non inesse: et quod neque genus est, neque species, neque proprium, neque differentia, semper autem est in subiecto subsistens. Primę duæ definitiones sunt difficiles, ideoque ab antiquis Arabibus, & à quibusdam recentioribus reiiciuntur. Vtcumque tamen explicabuntur, & defendentur à à nobis in responsione ad quartum.

Ad 1. Proprium non definitur tanquã prædicabile contradistinctum ab accidẽte vt sic, quod diuiditur in accidens proprium, & commune, sed tanquam prædicabile contradistinctum ab accidente communi, vt explicatum est.

Ad 2. Distinguo maiorem; omne accidens prędicabile de multis est genus, vel species respectu subiecti, de quo prædicatur accidentaliter, nego maiorem; respectu alterius subiecti, de quo pręedicatur essentialiter, concedo maiorem. Dictum est, quod accidens in concreto potest prædicari & accidentaliter, & essentialiter. In quantum prædicatur acci-

dentaliter constituit quintum prædicabile: in quantum prędicatur essentialiter reducitur ad genus, ac speciem: e. g. coloratum in quantum accidentaliter prædicatur de homine spectat ad quintũ prędicabile; in quantum essentialiter prædicatur de albo, ac nigro, reducitur ad genus.

Ad 3. Definitio, qua proprium dicitur, quod conuenit omni, soli, & semper, definit solum proprium quarto modo cõstituens quartum prędicabile, ideoque non debet conuenire risui, qui proprius est hominis tertio modo. Coincidit verò definitio Porphyrii cum definitione Aristotelis, qui definit proprium, *quod non indicat quidditatem rei, & conuersim prædicatur*. Eo enim ipso, quod prædicatur conuersim, conuenit omni, soli, & semper. Illud enim prædicatur ad conuertentiam, quod ità conuenit subiecto, vt nunquam subiectum sit sine ipso, nec ipsum sine tali subiecto. Si nunquam subiectum est sine proprio; ergo conuenit omni subiecto, & semper; si nunquam proprietas est sine tali subiecto; ergo conuenit soli; ergo definitio Aristotelica coincidit cum definitione Porphyrii. Addit verò Aristoteles particulam illam, *quod non indicat quidditatem*, tanquam genus, in quo proprium

con-

conuenit cum accidente communi; & differt à tribus prędicabilibus essentialibus, quod est *esse prædicatum non essentiale nec quidditatiuum*.

Ad 4. Vt explicem definitionem Porphyrii, qua accidens dicitur, *quod potest adesse, & abesse à subiecto præter corruptionem subiecti*, noto primo, quod duplex est corruptio, physica nimirum, & logica. Physica est, per quam subiectum desinit esse: e. g. mors est corruptio physica corruptio logica est, per quam attribuitur subiecto aliquid repugnans ipsius naturę, e. g. cum dicitur *homo est hinnibilis* corrumpitur logicè homo, quia asseritur aliquid repugnans naturę hominis; similiter cum dicitur *ignis non est calidus*, logicè corrumpitur ignis. Ad corruptionem verò logicā sufficit, quod asseratur aliquid repugnans naturæ subiecti, etiamsi non sequatur contradictio.

Secundo noto, quod duplex est absentia accidentis à subiecto, positiua nimirum, & negatiua. Absentia negatiua est, per quam accidens non est in tali subiecto; positiua est per quam accidens licet sit in tali subiecto, est etiam extrà tale subiectum in alio subiecto: e.g. cum dico *coruus non est niger*, affirmo absentiam negatiuam nigredinis à coruo; cum dico *nigredo inuenitur extrà coruum in*

æthiope affirmo absentiam positiuam nigredinis à coruo. Dico igitur sensum definitionis esse; *accidens est, quod potest adesse, & abesse saltem positiuè à subiecto præter eius corruptionem logicam, hoc est quin per hoc affirmetur aliquid repugnans naturæ subiecti.* In hoc verò differt à proprio, quod proprium non potest abesse à subiecto, ne positiuè siquidem sine corruptione logica subiecti, hoc est quin affirmetur aliquid repugnans naturæ subiecti. Cum enim proprium conueniat omni, soli, & semper tanquam mutuò connexum cum essentia subiecti, est contra naturam subiecti, quod absit negatiuè, alioquin non conueniret omni, & semper: est etiam contra naturam subiecti, quod absit positiuè per hoc, quod ponatur in alio subiecto, alioquin non conueniret soli.

Ad argumentum in forma concedo maiorem, & distinguo minorem; nigredo non potest abesse à coruo positiuè sine ipsius corruptione logica, nego minorem; non potest abesse negatiuè sine ipsius corruptione physica, transeat minor; & nego consequentiam. Eodem pacto respondeo ad confirmationem ex eo, quod accidentia conseruatiua subiecti non possunt abesse sine corruptione subiecti. Dico enim, quod possunt abesse

ſe poſitiuè ; e. g. calor vitalis poteſt eſſe in ſubiecto diſtincto ab homine ſine corruptione logica hominis, cum non ſit contrà naturam hominis, vt calor vitalis detur etiam extrà hominem ; licet ſit contrà naturam hominis, quod riſibilitas detur extrà hominem, cum hominis natura poſtulet riſibilitatem tanquam mutuò connexam ſecum. Ad illā partem confirmationis, in qua opponitur, quod accidentia deſtructiua, vt mors, corruptio &c. non poſſunt adeſſe ſubiecto pręter eius corruptionem, diſtinguo ; præter corruptionem logicam, nego ; præter eius corruptionem phyſicam, concedo. Non eſt contrà naturam ſubiecti corruptibilis, quod corrumpatur, & ſubiecti mortalis, quod moriatur ; ergo per hoc, quod corrumpatur, aut moriatur, ſolum corrumpitur phyſicè, non logicè.

6. Nec dicas hanc explicationem eſſe contrà mentem Porphyrij. Patet enim Porphyrium dum dicit accidens abeſſe à ſubiecto pręter corruptionem ſubiecti, loqui de abſentia non phyſica, ſed logica, hoc eſt per intellectum. Dicit enim quod nigredo poteſt abeſſe à coruo, vel æthiope per intellectum, quia poſſumus intelligere coruum album, & ęthiopem mutantem colorem ; ergo etiam nos in-

 ſiſten-

sistendo vestigijs Porphyrii, possumus dicere, quod accidens est, qnod potest adesse, & abesse à subiecto prçter eius corruptionem logicam. Eodem pacto est explicanda secunda definitio, qua accidens dicitur, *quod potest eidem inesse, & non inesse*. Intelligenda enim est positiuè, vt sensus sit, *accidens est, quod potest inesse subiecto, & etiam extrà tale subiectum in alio subiecto*, cum non sit conuertibile cum subiecto, sicut proprium. Hæc explicatio definitionis insinuatur à Scoto, & à Caietano de prçdicabilibus. Et hçc de prædicabilibus.

QVAESTIONES

De prædicamentis.

Ordo disputandorum.

QVia ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, est vel vniuocum, vel çquiuocum, vel analogum, primo quærimus, vtrum conueniéter definiantur vniuoca, æquiuoca, & analoga. Secundo vtrum ens sit vniuocum, vel analogum, non solum in quantum

sumi-

umitur strictè pro ente reali, quod di-
iiditur in decem prædicamenta, sed etiã
n quantum sumitur latè pro ente intel-
igibili, quod diuiditur in reale, & ra-
ionis; possibile, & impossibile; positiuum,
& negatiuum. Iam quia diuisio entis in-
elligibilis in reale, & rationis &c. præ-
cedit diuisionem entis realis in decem
prædicamenta, antequam agamus de se-
cunda, agimus de prima, & tertia, quæ-
rimus vtrum ens rationis logicum, seu
ecundæ intentiones constituantur per
aliquid diminutum, aut fictum. Quarto,
vtrum ens possibile constituatur per ali-
quod ens diminutum. Quinto, vtrum
mpossibile concipiatur, & constituatur
per aliquod diminutum. Sexto vtrum
negationes, & priuationes dentur, &
int entia diminuta, vel abusiua, vel por-
ius identificentur cum aliquo positiuo.
Septimo, vtrum ens reale conuenienter
liuidatur in decem prædicamenta.
Octauo, vtrum Deus sit in genere, vel
prędicamento. Nono, vtrum prędica
mentum substantiæ rectè coordinetur, &
uod in eo sit supremum genus vniuo-
um. Demum reiicientes in alium lo-
um quæstiones de substantia, & aliis
rædicamentis, agimus de prędicamen-
o relationis, de quo agi solet in logica,
icet eius tractatio sit propriè metaphysi

ca, & 10. quærimus vtrum omnia entia, & omnia prædicamenta sint relatiua per se ipsa aliqua relatione transcendentali. Vndecimo, vtrum relationes prædicamentales coexistentiæ &c. sint accidentia modalia intrinseca subiectis: in qua quæstione resoluimus alia dubia de relationibus, & concludimus tractatum de prædicamentis.

Vtrum conuenienter definiantur Vniuoca, Aequiuoca, & Analoga. Quæstio XLIV.

VIdetur primo, quod non conuenienter definiantur æquiuoca, *quorum nomen commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio diuersa*. Vt enim docet Aristoteles 6 Topicorum cap. 2. æquiuoca non possunt vnica definitione definiri; ergo allata definitio cum sit vnica omnium æquiuocorum non est bona.

2. Videtur, quod non benè definiantur vniuoca, *quorum nomen commune est, secundum nomen verò substantiæ ratio est eadem*. Non enim sola substantia, sed etiã accidentia possunt esse vniuoca; ergo non

non requiritur ad vniuoca, vt nomen significet rationem ſubſtantię, ſed ſufficit quod ſignificet rationem accidentis.

3. Videtur, quod inconuenienter definiantur analoga, tanquam media inter vniuoca, & æquiuoca, *quorum nomen commune eſt, ſecundum nomen verò ſubſtantiæ ratio partim eſt eadem, partim diuerſa*. Eo enim ipſo, quod ratio ſignificata per nomẽ nõ eſt eadẽ omninò, ſunt ęquiuoca; ergo non ſunt media inter vniuoca, & æquiuoca.

4. Non poteſt explicari, vtrum per has definitiones definiantur ſola nomina æquiuoca &c, vel res per nomina ſignificatæ; ergo &c.

Reſpondeo, quod quia ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, eſt genus analogum, prædicamenta verò vel omnia, vel pleraque ſunt genera vniuoca, Ariſtoteles præmittit definitiones vniuocorum, ad quæ reducuntur analoga, vt iam dicetur. Aequiuoca definit per hęc verba: *æquiuoca dicuntur quorum nomen commune eſt, ſecundum nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa, vt animal, & homo, & pictum animal; horum enim ſolum nomen commune eſt, ſecundum nomen verò ſubſtantiæ ratio diuerſa. Si enim quis aſſignet, quid ſit eorum vtrumque, quo ani-*

 mal

mal est, propriam vtriusque assignabit rationem. Vniuoca definit per hæc verba, *vniuoca sunt, quorum nomen commune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio; vt animal, & homo, & bos; commune enim nomen, & est ratio substantiæ eadem; si enim quis assignet vtriusque rationem, quid vtrumque est, quo animal est, eamdem assignabit rationem*.

Hinc patet primo, quid definiatur in allatis definitionibus. Non definiuntur nomina vniuoca, vel æquiuoca, quæ vocantur vniuoca vniuocantia, & ęquiuoca æquiuocantia, sed res significatæ per talia nomina, quæ vocantur vniuoca vniuocata, & ęquiuoca æquiuocata.

Patet secundo genus, in quo conueniunt vniuoca, & ęquiuoca esse, quod habent nomen commune; differentiam esse, quod æquiuoca ita habent nomen commune, vt conueniat illis diuersa definitio, seu ratio nominis; vniuoca ita habent nomen commune, vt conueniat illis eadem definitio, seu ratio nominis; e. g. bos, & homo conueniunt vniuocè in nomine animalis, quia si quęratur, quid sit hominem, & bouem esse animal, afferetur eadem definitio, seu ratio nominis, ac dicetur, *hominem, & bouem esse animal est esse viuens sensitiuum*: è conuerso homo, & animal pictum cō-

ueniunt

ueniũt æquiuocè in nomine animalis. Si enim quæratur, quid sit hominem, vel aliquod pictum esse animal, afferetur diuersa definitio, ac dicetur; *hominem esse animal est esse viuens sensitiuum; aliquod pictum esse animal non est esse viuens sensitiuum, sed esse imaginem viuentis sensitiui.* In definitionibus igitur allatis particula illa *ratio substantiæ* significat definitionẽ explicantem nomen, vt interpretatur Boetius libro primo prędicamentorum, & alii.

Aequiuoca diuiduntur in æquiuoca strictè, quæ solent esse ęquiuoca à casu, & ęquiuoca latè, siue analoga, quæ solent esse ęquiuoca à consilio. Aequiuouoca strictè sunt, *quorum nomen commune est, ratio verò per nomen significata est omninò diuersa, & non habens affinitatem significatam per nomen.* Tale est nomen Galli, in quantum significat Gallum auem, & hominem natum in Gallia. Aequiuoca latè, siue analoga sunt, *quorum nomen commune est, & ratio per nomen significata est partim eadem, partim diuersa, cum habeat affinitatem explicatam per nomen;* e. g. sanum in quantum dicitur de animali, medicina, & colore est analogum, quia nomen commune est, definitio verò nominis non omninò diuersa. Si enim quæratur, quid sit ani-

nal, medicinam, & colorem eſse ſana, afferuntur definitiones non omninò diuerſæ, ſed conuenientes in explicando quodam ordine ad ſanitatem. Animal enim eſſe ſanum, eſt habere humores benè temperatos; medicinam eſſe ſanam eſt eſse aptam ad benè temperandos humores animalis; colorem eſſe ſanum, eſt eſſe ſignum, quod in animali humores ſunt benè temperati. Solent analoga eſſe ęquiuoca à conſilio, quia certo conſilio idem nomen impoſitum eſt ad ſignificandas plures rationes, propter earum affinitatem; cum è conuerſo ęquiuoca ſtrictè ſoleant eſſe ęquiuoca à caſu, quia cum ſignificationes ſunt diſparatæ, caſu ſolet accidere, quod idem nomen habeat plures ſignificationes.

Analoga diuiduntur in analoga attributionis, & proportionis. Analoga attributionis ſunt, *quorum nomen commune eſt, ratio verò per nomen ſignificata eſt diuerſus ordo ad aliquid vnum & idem*; e. g. ſanum in quantum dicitur de animali, medicina, & colore eſt analogum attributionis, quia ratio ſignificata per nomen ſani eſt diuerſus ordo ad eandem ſanitatem. Illud, cui ita conuenit nomen, vt per ordinem ad id tribuatur ceteris, dicitur analogatum principale, alia dicuntur analogata minus principalia:

lia : e. g. in exemplo posito animal sanū est analogatum principale, reliqua sunt minus principalia.

Analoga proportionis sunt *quorum nomen commune, & ratio per nomen significata est proportionaliter diuersa*; e. g. ridere dicitur analogicè de homine, & prato. Cum enim dico *pratum ridet*, non idem affirmo, ac cum dico, *homo ridet*; sed affirmo aliquid proportionale, quod explicatur dicendo; *sicut homo ridens, ita pratum amenum exhilarat videntes*. Omnes metaphorę fundantur in analogia proportionis. Debet autem aduerti, quod in definitione analogorum prius debet definiri id quod est principium analogiæ, deinde alia.

Caietanus admittit etiam analoga inęqualitatis, cum scilicet ratio per nomen significata est eadem, sed inæqualiter participatur ab inferioribus, eo quod contrahatur per differentias inęquales. Huiusmodi est animal, in quantū dicitur de homine, & equo. Nam idē significo cum dico *homo est animal*, ac cū dico *equus est animal*; sed tamen animal contrahitur ad hominem, & equum per differentias inęquales rationalitatis & hinnibilitatis. Alii dicunt analoga inæqualitatis esse, cum ratio per nomen significata est eadem sed ab vno partici-

cipa-

cipatur cum dependentia ab altero; e.g. luminosum in quantum dicitur de sole, ac luna est analogum inæqualitatis, quia luna est luminosa cum dependentia à sole. Verum neutra inæqualitas obstat perfectę vniuocationi logicæ, cum ratio per nomen significata est eadem omninò: alioquin cum quodlibet genus contrahatur per differentias inęquales, si hoc obstaret vniuocationi, nullum genus esset vniuocum logicè.

Debet autem aduerti, quod in omnibus, aut plerisque generibus datur aliqua prima ac nobilissima species, quę est prima mensura aliarum specierum, quę sunt in tali genere. Ita in genere entis datur substantia, quę est prima mensura accidentium, quæ proinde definienda sunt per substantiam. In genere substantię datur substantia immaterialis, ac proinde corpora sunt perfectiora, & perfectiora, quo magis recedunt à materia, vt patet in elementis, quę quo sunt rariora, adeoque in mole ęquali minus habent materię, eo sunt perfectiora, & magis actiua; & ignis, qui est rarissimus, est perfectissimus, & efficacissimus elementorum In genere corporum inanimatorum datur cœlum, ideoque corpora inanimata, quo magis imitantur cœlum, eo sunt perfectiora.

In

In genere animalis datur homo, ac proinde animalia, quo magis accedunt ad prudentiam hominis, sunt perfectiora. In genere coloris datur albedo. In genere figurarum datur rotunditas. In genere angulorum rectilineorum datur rectus, ideoque alii anguli rectilinei definiendi sunt per rectum. In genere motus datur motus localis, ideoque cæteri motus intelliguntur cum quadam proportione ad motum localem. In genere motus localis datur motus primi mobilis, à quo mensurantur, & causantur omnes alii motus. Hinc est, vt sit famosum axioma desumptum ex Aristotele, S. Thoma, & aliis, quod *primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum*. Ex quo sequitur, quod omnia genera sint aliqualiter analoga, non quidem logicè, sed physicè, cum in omnibus detur prima species, quæ vtpotè mensura cæterarum, est primum analogatum. Quando igitur definiendæ sunt species alicuius generis, considerandum est primo, quænam species sit prima, ac mensura cęterarum, atque illius definitio quęrenda; facilè enim per ordinem ad primam definientur cęterę. In hac verò arte definiendi mirabilis fuit Aristoteles. Solet enim definire species generum per ordinem, & proportionem ad primam speciem. Ad

Ad 1. Distinguo antecedens; æquiuoca, in quantum significantur nomine illis æquiuocè conueniente, definiri non possunt vnica definitione, concedo; in quantum significantur nomine illis conueniente non æquiuocè, nego antecedés; & nego consequentiam. Nomen æquiuoci non conuenit æquiuocè, hoc est in diuersa significatione omnibus æquiuouocis, sed conuenit in eadem significatione; ideò æquiuoca in quantum conueniunt in nomine æquiuoci definiri possunt vnica definitione.

Ad 2. In definitione æquiuocorum, & vniuocorum particula illa *substantiæ ratio* significat idem, ac ratio, seu definitio explicans nomen; & quia etiam accidentia possunt conuenire in ratione, seu definitione explicante nomen, possunt conuenire vniuocè.

Ad 3. Analoga sunt media inter æquiuoca strictè sumpta, & vniuoca; at sunt species æquiuocorum latè sumptorum, prout sumuntur hic ab Aristotele, qui idcircò analoga comprehendit sub nomine, ac definitione æquiuocorum, vt docet Sanctus Thomas opusc. 48. tractatu 2. quem præter Thomistas, sequuntur etiam plures alii.

Ad 4. dictum est q. 37. ad secundum, quod in definitione concreti accidentalis

tis definitur complexum, siue subiectum vt denominatum à forma. Quia ergo vniuoca, ęquiuoca &c. sunt concreta accidentalia, definiuntur res, in quantum à nomine denominantur vniuoca, vel æquiuoca.

Vtrum ens sit Genus vniuocum, vel analogum. Quæstio XLV.

VIdetur esse vniuocum, vt docet Scotus in primo, distin. 3. q. 3. quem sequuntur Scotistæ, Nominales, & quidam recentiores; 1. Ex dictis quæst. 44. tum nomen est vniuocum, cum est commune pluribus secundum eandem rationem, seu definitionem nominis; sed nomen entis est hoc pacto commune pluribus, scilicet substantiæ, & accidenti; ergo &c. Minor probatur, quia si quęratur, quid sit substantiam, & accidens esse ens, respondetur per eandem definitionem entis, ac dicitur substantiam, & accidens esse ens, est distingui a nihilo, seu non implicare contradictionem; sicut si quęratur quid sit hominem, & equum esse animal, respondetur per eandem definitionem; ergo ens non est minus

ius vniuocum, quam animal.

2 Omne nomen significans conceptum perfectè vnum, hoc est perfectè præscindentem à differentiis, est vniuocum; sed nomen entis significat conceptum perfectè vnum, & perfectè præscindentem à differentiis entis, quę sunt perseitas, & inaleitas, non minus, quam conceptus animalis perfectè præscindat à differentiis animalis, quæ sunt animalitas, hinnibilitas &c; ergo nomen entis est vniuocum non minus, quam nomen animalis. Minor probatur experientia; sicut enim quando dico *animal* non cogito de rationali, vel irrationali; sic quando dico *ens* non cogito de per se, vel in alio.

3. Si dicatur, quod ad vniuocationem non sufficit, quod ratio communis perfectè præscindat à differentiis, sed requiritur, vt differentiæ perfectè præscindant à ratione communi, cum differentię entis non perfectè præscindant ab ente, sed sint formaliter ens; si inquam hoc dicatur, contra est, quia, vt nomen sit vniuocum, sufficit, vt significet rationem, seu conceptum perfectè vnum, & indiuisum; sed conceptus perfectè pręscindens à differentiis eo ipso est perfectè vnus, & indiuisus, cum diuidatur per solas differentias; ergo sicut quod

quod differentiæ non præſcindant, non impedit quo minus conceptus communis ſit perfectè pręciſus, & vnus, ſic non impedit ne ſit vniuocus.

4. Videtur, quod ex proportionalibus rationibus non ſolum ſit vniuocum ens ſtrictè ſumptum, in quantum ſignificat ens reale poſitiuum, quod diuiditur in ſubſtantiam, & accidens, ac in decem prædicamenta, ſed etiam ens latè ſumptum, in quantum ſumitur pro intelligibili vt ſic, & diuiditur in ens reale, & ens rationis; in poſſibile, & impoſſibile; poſitiuum, & negatiuum; nomen enim intelligibilis eſt commune omnibus iſtis ſecundum eandem rationem, ac definitionem nominis; ergo conceptus intelligibilis eſt perfectè vnus, & pręciſus à differentiis realis, & rationis, licet tales differentię fortaſſe non pręſcindant à ratione intelligibilis; ergo &c.

5. Non poteſt explicari vtrum ens ſit analogum attributionis, vel proportionis; ergo non eſt analogum, ſed vniuocum.

Reſpondeo, quod ex principiis ſententię ponentis inter gradus aliquam diſtinctionem obiectiuam manifeſtè ſequitur ens, non ſolum prout ſumitur late

latè, & significat intelligibile vt sic, sed etiam prout sumitur strictè, & significat ens reale positiuum, non esse vniuocum, sed analogum, licet alia genera sint vniuoca reali, & obiectiua vniuocatione. Vniuoca enim sunt, quorum nomen commune est, ratio verò obiectiua per nomen significata est eadem, hoc est omninò similis; analoga sunt, quorum nomen commune est, ratio verò obiectiua per nomen significata non est eadem, nec omninò similis, sed partim diuersa, ac dissimilis; sed nomen entis est commune substantię, & accidenti; rationes verò obiectiuæ, quibus substantia est ens, & accidens est ens, non sunt omninò similes, sed partim dissimiles; ergo ens non est vniuocum, sed analogum. Minor probatur, nam iuxta illam sententiam substantia est ens per rationē omninò identificatā cum perseitate, accidēs est ens per rationem omninò identificatam cum inaleitate; sed rationes omninò identificatæ cū perseitate, & inaleitate non sunt omninò similes, sed partim dissimiles, sicut ipsa perseitas, & inaleitas sunt partim dissimiles; ergo rationes obiectiuæ, quibus substantia est ens, & accidens est ens, non sunt omninò similes, sed partim

tim dissimiles. Et quia rationes formales, seu definitiones rationum obiectiuarum, si sunt adæquatæ, debent omninò conformari rationibus obiectiuis, ideò substantia, & accidens ita conueniunt in nomine entis, vt definitio adæquata explicans quid sit ratio, qua substantia est ens, & accidens est ens, non sit eadem, sed diuersa. A fortiori ratio obiectiua, qua possibile est intelligibile, est diuersa à ratione obiectiua, per quam impossibile est intelligibile. Ratio enim, per quam possibile est intelligibile, est omninò idem cum realitate possibilis; sed ratio quæ est omninò idē cum realitate possibilis, est diuersa, ac dissimilis à ratione obiectiua impossibilis, si concipitur talis ratio obiectiua; ergo possibile, & impossibile non conueniunt in vlla ratione obiectiua intelligibilis: quod valet etiam de ente reali positiuo, & negatiuo: nam ratio obiectiua, qua ens positiuum est intelligibile, cum sit omninò idem cum ratione obiectiua entis positiui, est diuersa à qualibet ratione obiectiua, quæ detur in negationibus, in sententia concedente negationes contradistinctas ab ente positiuo.

In sententia docente gradus non distingui obiectiuè, tollitur vera & obie-

ctiua

ctiua vniuocatio ab omnibus generibus, & probabiliter ab omnibus speciebus. Vera enim, & obiectiua vniuocatio cõsistit in hoc, vt non solum nomen, tum mentale, tum vocale sit commune, sed etiam ratio obiectiua significata per nomen sit eadem, hoc est omninò similis; sed solum nomen mentale, ac vocale animalis e. g. est commune homini, & equo, ratio verò obiectiua, qua homo est animal, non est omninò eadem, sed diuersa, ac dissimilis à ratione obiectiua, qua equus est animal; homo enim est animal per animalitaté omninò identificatam cum rationalitate, equus est animal per animalitatem distinctam à rationalitate, & identificatam cum hinnibilitate, quæ animalitates sunt diuersæ, ac dissimiles, sicut rationalitas, & hinnibilitas; ergo homo, & equus non conueniunt in ratione animalis vniuocatione vera, & obiectiua; idem valet de omnibus aliis generibus; ergo tollitur vera, & obiectiua vniuocatio omnium generum. Addo, quod probabiliter tollitur vniuocatio obiectiua omnium specierum etiam infimarum. Vt enim dictum est quæstione 40. omnia sunt dissimilia in vltima indiuiduatione per se; sed ratio specifica hominis e. g. est eadem omninò cum vltima indiuiduatione

ne

ne per se, ergo indiuidua speciei humanæ sunt homo per dissimilem rationem hominis; ergo non habent veram & obiectiuam vniuocationem, per quam nō solum conueniant in nomine mentali, & vocali hominis, sed etiam in ratione obiectiua hominis significata per nomē. E conuersò si gradus distinguūtur, animal est obiectiuè vniuocum, quia non solum nomen animalis est commune, sed ipsa ratio obiectiua animalis, vtpotè distincta à differentiis est eadem, & omninò similis in omnibus animalibus, licet specie diuersis, vt dictum est quæst. 32. Et ex proportionali ratione homo, & alię species sunt vniuocæ.

Porrò Aristoteles, & interpretes antiqui videntur omninò in generibus, & speciebus ponere veram, & obiectiuam vniuocationem. Probatur primo ex Aristotelica definitione vniuocorum, in qua requiritur ad vniuoca, vt non solū nomen, sed etiam ratio significata per nomen sit omninò eadem, & similis; sed nomen significat principaliter rationem obiectiuam; e.g. animal significat rationem obiectiuam animalis; ergo requirit ad vniuocationem, vt ratio obiectiua sit omnino similis.

Secundo probatur, quia Aristoteles in suis libris pręsertim metaphysicis sæpè

pe docet tanquam aliquid magni momēti, quod ens non est genus, & non dicitur vno modo, hoc est vniuocè, sed multipliciter, & analogicè. Si verò ad genus & vniuocationem requiritur, vt ratio obiectiua sit omninò similis, manifestè hæc quæstio est de re, & magni momenti, ideoque digna, vt ab Aristotele sępe tractetur. At si ad genus, & vniuocationem non requiritur, vt ratio obiectiua sit eadem, ac omninò similis, quęstio solum est de modo, quo ens intelligitur, atque adeò est parui momenti, nec digna vt toties ab Aristotele tractetur.

Tertio probatur ex Aristotelis interpretibus Gręcis, Arabibus, & Latinis. Ex Grecis simplicius 2. de anima; textu 2. *Ea* inquit, *quæ vniuocè prædicantur, sunt inseparbilia ab ijs, quæ sibi subiecta sunt; verum in his natura quædam est, quæ licet non sit separabilis, attamen vna quædam est communis natura, ab ijs diuersa de quibus prædicatur, quæque ipsius ratione non euariat, atque adeò quia vna est, vna quadam ratione comprehensibilis est*; ergo secundum simplicium, licet natura vniuoca non sit separabilis ab inferioribus, & à differentiis tamen est ab ipsis diuersa; sed dum dicit quod non est separabilis, negat separabilitatem

litatem à parte rei, non per intellectum, cum procul dubio per intellectum natura vniuoca sit separabilis, & abstrahibilis à differẽtiis, e.g. natura animalis est separabilis & abstrahibilis ab homine, & equo, & à differentiis rationalis, & irrationalis; ergo dum dicit, quod est diuersa ponit aliquam diuersitatem à parte rei; & dum addit, quod secundũ sui rationem non euariat, docet quod à parte rei non euariat, sed est omninò similis. Confirmatur, quia rationem affert, cur ratio vniuoca sit definibilis vnica definitione, quia secundum se est vna, siue omninò similis, ideoque definibilis vnica definitione, cum oppositũ contingat in ratione analoga. Eandem doctrinam insinuat Philoponus in textu citato, & in sequente. Ex Arabibus Auerroes in textum 86. Poster. dicit vniuoca esse verè, & propriè vna, secus analoga: atque idem ex latinis asserit Albertus in antepraedicamentis cap. de vniuocis, & 5. metaphysicae tractatu vltimo.

Quarto probatur, quia scholastici tractant tanquam quaestiones summi momẽti, vtrum Deus sit in genere, & vtrum conueniant vniuocè cum creaturis in aliqua ratione, vt videre est apud Sanctum Thomam, prima parte quaest. 3. ar-

non est eadem, cum ita nomen est commune pluribus, vt appareat esse diuersā, ac dissimilem rationem, secundum quam illis attribuitur; sed cum ratio significata per nomen includitur formaliter in differentiis, apparet dissimilem esse rationem, secundum quam nomen attribuitur pluribus differentibus; ergo &c. Minor probatur, & explicatur in ente; cum enim dico *substantia est ens, accidens est ens*, aduerto quod substantia est ens per rationem, quę formaliter est perseitas; accidens est ens per rationem, quę est inaleitas; sed ratio entis, quæ est perseitas, apparet vt diuersa à ratione, quę est inaleitas; ergo apparet, quod substantia, & accidens sunt ens per diuersam rationem entis. E conuersò cū dico *homo est animal, equus est animal*, ratio animalis apparet vt non inclusa in differentiis hominis, & equi; ergo non apparet vt diuersa, adeoquè apparet, vt eadem, & omninò similis.

Ad 1. Concedo maiorem, & nego minorem: nam nomen entis ita est commune substantiæ, & accidenti, vt ipsis attribuatur secundum rationem diuersam non solum obiectiuè, sed etiam formaliter, vt dictum est in resolutione quęstionis. Ad probationem, distinguo antecedens; si quæratur quid sit substantiam, & ac-

& accidens eſſe ens, reſpondetur per eandem definitionem verbaliter, concedo; eadem obiectiuè, & quo ad conceptum, nego. Cum dicitur *ſubſtantiam eſſe ens eſt contradiſtingui à nihilo, accidens eſſe ens eſt contradiſtingui à nihilo*, ratio cõtradiſtincti à nihilo, apparet vt eadem cum differentia ſubſtantiæ, & accidentis; ergo appparet vt ratio diuerſa; ergo eſt diuersa ratio, ac definitio non ſolum obiectiuè, ſed etiam formaliter;

Ad 2. diſtinguo maiorem; omne nomen ſignificans conceptum perfectè vnum, & perfectè preſcindentem à differentiis ſolum antequam attribuatur pluribus differentibus, eſt vniuocum, nego maiorem; etiam cum attribuitur pluribus differentibus, concedo maiorem; diſtinguo eodem pacto minorem; & nego conſequentiam. Nomen entis, cum attribuitur differentiis, ſignificat conceptum, quo ens apparet vt idem formaliter cum differentiis, adeoque vt non preciſum à differentiis, neque vnum perfectè; ergo non eſt vniuocum.

Addo probabile mihi eſse, quod conceptus entis non perfectè præſcindat à ſubſtantia, ſed ſemper exprimat ſubſtantiam. Probatur primò, quia Ariſtoteles, quem ſequitur Sanctus Thomas,

 alii-

atè, & significat intelligibile vt sic, sed etiam prout sumitur strictè, & significat ens reale positiuum, non esse vniuocum, sed analogum, licet alia genera sint vniuoca reali, & obiectiua vniuocatione. Vniuoca enim sunt, quorum nomen commune est, ratio verò obiectiua per nomen significata est eadem, hoc est omninò similis; analoga sunt, quorum nomen commune est, ratio verò obiectiua per nomen significata non est eadem, nec omninò similis, sed partim diuersa, ac dissimilis; sed nomen entis est commune substantię, & accidenti; rationes verò obiectiuæ, quibus substantia est ens, & accidens est ens, non sunt omninò similes, sed partim dissimiles; ergo ens non est vniuocum, sed analogum. Minor probatur, nam iuxta illam sententiam substantia est ens per rationẽ omninò identificatã cum perseitate, accidẽs est ens per rationem omninò identificatam cum inaleitate; sed rationes omninò identificatæ cũ perseitate, & inaleitate non sunt omninò similes, sed partim dissimiles, sicut ipsa perseitas, & inaleitas sunt partim dissimiles; ergo rationes obiectiuæ, quibus substantia est ens, & accidens est ens, non sunt omninò similes, sed partim

im dissimiles. Et quia rationes formales, seu definitiones rationum obiectiuarum, si sunt adæquatæ, debent omninò conformari rationibus obiectiuis, adeò substantia, & accidens ita conueniunt in nomine entis, vt definitio adæquata explicans quid sit ratio, qua substantia est ens, & accidens est ens, non sit eadem, sed diuersa. A fortiori ratio obiectiua,qua possibile est intelligibile,est diuersa à ratione obiectiua, per quam impossibile est intelligibile. Ratio enim, per quam possibile est intelligibile, est omninò idem cum realitate possibilis; sed ratio quæ est omninò idē cum realitate possibilis, est diuersa, ac dissimilis à ratione obiectiua impossibilis, si concipitur talis ratio obiectiua; ergo possibile, & impossibile non conueniunt in vlla ratione obiectiua intelligibilis: quod valet etiam de ente reali positiuo, & negatiuo: nam ratio obiectiua, qua ens positiuum est intelligibile, cum sit omninò idem cum ratione obiectiua entis positiui, est diuersa à qualibet ratione obiectiua, quæ detur in negationibus, in sententia concedente negationes contradistinctas ab ente positiuo.

In sententia docente gradus non distingui obiectiuè, tollitur vera & obie-

ctiua

ctiua vniuocatio ab omnibus generibus, & probabiliter ab omnibus speciebus. Vera enim, & obiectiua vniuocatio cõsistit in hoc, vt non solum nomen, tum mentale, tum vocale sit commune, sed etiam ratio obiectiua significata per nomen sit eadem, hoc est omninò similis; sed solum nomen mentale, ac vocale animalis e. g. est commune homini, & equo, ratio verò obiectiua, qua homo est animal, non est omninò eadem, sed diuersa, ac dissimilis à ratione obiectiua, qua equus est animal; homo enim est animal per animalitatẽ omninò identificatam cum rationalitate, equus est animal per animalitatem distinctam à rationalitate, & identificatam cum hinnibilitate, quæ animalitates sunt diuersæ, ac dissimiles, sicut rationalitas, & hinnibilitas; ergo homo, & equus non conueniunt in ratione animalis vniuocatione vera, & obiectiua; idem valet de omnibus aliis generibus; ergo tollitur vera, & obiectiua vniuocatio omnium generum. Addo, quod probabiliter tollitur vniuocatio obiectiua omnium specierum etiam infimarum. Vt enim dictum est quæstione 40. omnia sunt dissimilia in vltima indiuiduatione per se; sed ratio specifica hominis e. g. est eadem omninò cum vltima indiuiduatione

ne per se, ergo indiuidua speciei humanæ sunt homo per dissimilem rationem hominis; ergo non habent veram & obiectiuam vniuocationem, per quam nō solum conueniant in nomine mentali, & vocali hominis, sed etiam in ratione obiectiua hominis significata per nomē. E conuersò si gradus distinguũtur, animal est obiectiuè vniuocum, quia non solum nomen animalis est commune, sed ipsa ratio obiectiua animalis, vtpotè distincta à differentiis est eadem, & omninò similis in omnibus animalibus, licet specie diuersis, vt dictum est quæst. 2. Et ex proportionali ratione homo, & aliæ species sunt vniuocæ.

Porrò Aristoteles, & interpretes antiqui videntur omninò in generibus, & speciebus ponere veram, & obiectiuam vniuocationem. Probatur primo ex Aristotelica definitione vniuocorum, in qua requiritur ad vniuoca, vt non solũ nomen, sed etiam ratio significata per nomen sit omninò eadem, & similis; sed nomen significat principaliter rationem obiectiuam; e.g. animal significat rationem obiectiuam animalis; ergo requirit ad vniuocationem, vt ratio obiectiua sit omnino similis.

Secundo probatur, quia Aristoteles in suis libris præsertim metaphysicis sæpè

pe docet tanquam aliquid magni momẽti, quod ens non est genus, & non dicitur vno modo, hoc est vniuocè, sed multipliciter, & analogicè. Si verò ad genus & vniuocationem requiritur, vt ratio obiectiua sit omninò similis, manifestè hæc quæstio est de re, & magni momenti, ideoque digna, vt ab Aristotele sępe tractetur. At si ad genus, & vniuocationem non requiritur, vt ratio obiectiua sit eadem, ac omninò similis, quęstio solum est de modo, quo ens intelligitur, atque adeò est parui momenti, nec digna vt toties ab Aristotele tractetur.

Tertio probatur ex Aristotelis interpretibus Gręcis, Arabibus, & Latinis. Ex Grecis simplicius 2. de anima; textu 2. *Ea* inquit, *quæ vniuocè prædicantur, sunt inseparbilia ab ijs, quæ sibi subiecta sunt; verum in his natura quædam est, quæ licet non sit separabilis, attamen vna quædam est communis natura, ab ijs diuersa de quibus prædicatur, quæque ipsius ratione non euariat, atque adeò quia vna est, vna quadam ratione comprehensibilis est*; ergo secundum simplicium, licet natura vniuoca non sit separabilis ab inferioribus, & à differentiis tamen est ab ipsis diuersa; sed dum dicit quod non est separabilis, negat separabilitatem

litatem à parte rei,non per intellectum, cum procul dubio per intellectum natura vniuoca sit separabilis, & abstrahibilis à differẽtiis,e.g.natura animalis est separabilis & abstrahibilis ab homine, & equo , & à differentiis rationalis , & irrationalis ; ergo dum dicit , quod est diuersa ponit aliquam diuersitatem à parte rei ; & dum addit , quod secundũ sui rationem non euariat , docet quod à parte rei non euariat, sed est omninò similis . Confirmatur , quia rationem affert , cur ratio vniuoca sit definibilis vnica definitione , quia secundum se est vna , siue omninò similis , ideoque definibilis vnica definitione , cum oppositũ contingat in ratione analoga . Eandem doctrinam insinuat Philoponus in textu citato , & in sequente . Ex Arabibus Auerroes in textum 86. Poster. dicit vniuoca esse verè, & propriè vna, secus analoga : atque idem ex latinis asserit Albertus in antepraedicamentis cap. de vniuocis , & 5. metaphysicæ tractatu vltimo .

Quarto probatur,quia scholastici tractant tanquam quæstiones summi momẽti , vtrum Deus sit in genere , & vtrum conueniant vniuocè cum creaturis in aliqua ratione , vt videre est apud Sanctum Thomam , prima parte quæst. 3.artic.

tic.5. & quæst.13 artic.5. Si verò ad conuenientiam vniuocam non requireretur, vt ratio obiectiua esset omninò similis, tales quæstiones essent parui momenti, & solum de modo intelligendi; ergo supponunt ad vniuocationem requiri, vt ratio obiectiua sit omninò similis. Et confirmatur, quia probant Deum non esse in genere, nec conuenire vniuocè cum creaturis ex eo, quod rationes, quę in creatis existunt multipliciter, & diuisim, in Deo existunt vnitè, & ex eo, quod Deus est simplex, vt videre est in articulis citatis S. Thomæ; sed hæc argumenta probant, quod rationes obiectiuę sunt diuersæ, ac dissimiles; ergo supponunt requiri ad vniuocationem, vt rationes obiectiuę sint omninò similes.

In sententia dicente gradus obiectiuè non distingui, ad defendendam vtcūque vniuocationem generum, ac specierum, dicendum, quod ad hoc, vt ratio significata per nomen sit vniuoca, requiritur, & sufficit, vt non includatur formaliter in differentiis, tanquam id, quod differentię formaliter sunt. Et quia ratio animalis, atque idem dic de aliis generibus, ac speciebus non includitur formaliter in differentiis rationalis, & hinnibilis: rationalitas enim & hin-

hinnibilitas formaliter non sunt animal: ideo animal est vniuocum, & propriè genus contrahibile per differentias, cum non sit formaliter de essentia differentiarum. E conuersò ens includitur formaliter in omnibus suis differentiis tanquam id, quod tales differentiæ formaliter sunt; perseitas enim, & inaleitas, atque aliæ differentiæ entis formaliter sunt ens. cum non sint nihil; ergo ens non est vniuocum, nec propriè est genus, sed est analogum.

Confirmatur, quia Sanctus Thomas prima parte, quæst. 3 artic. 5 ex Aristotele affert hanc ipsissimam rationem, cur ens non sit genus per hęc verba. *Ostendit Philosophus in tertio metaphysicę, textu decimo, quod ens non potest esse genus alicuius; omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis; nulla autem differentia posset inueniri, quæ esset extrà ens, quia non ens non potest esse differentia.*

Sed difficultas est in applicanda hac doctrina definitionibus vniuocorum, & analogorum, & in explicando, quo pacto eo ipso, quod ratio significata per nomen commune formaliter includitur in differentiis, non sit omninò eadem, eo verò ipso, quod non includitur, sit eadem omninò. Dico, quod tum ratio

non est eadem, cum ita nomen est commune pluribus, vt appareat esse diuersã, ac dissimilem rationem, secundum quam illis attribuitur; sed cum ratio significata per nomen includitur formaliter in differentiis, apparet dissimilem esse rationem, secundum quam nomen attribuitur pluribus differentibus; ergo &c. Minor probatur, & explicatur in ente; cum enim dico *substantia est ens, accidens est ens*, aduerto quod substantia est ens per rationem, quę formaliter est perseitas; accidens est ens per rationem, quę est inaleitas; sed ratio entis, quæ est perseitas, apparet vt diuersa à ratione, quę est inaleitas; ergo apparet, quod substantia, & accidens sunt ens per diuersam rationem entis. E conuersò cũ dico *homo est animal, equus est animal*, ratio animalis apparet vt non inclusa in differentiis hominis, & equi; ergo non apparet vt diuersa, adeoque apparet, vt eadem, & omninò similis.

Ad 1. Concedo maiorem, & nego minorem: nam nomen entis ita est commune substantiæ, & accidenti, vt ipsis attribuatur secundum rationem diuersam non solum obiectiuè, sed etiam formaliter, vt dictum est in resolutione quęstionis. Ad probationem, distinguo antecedens; si quæratur quid sit substantiam, & ac-

& accidens esse ens, respondetur per eandem definitionem verbaliter, concedo; eadem obiectiuè, & quo ad conceptum, nego. Cum dicitur *substantiam esse ens est contradistingui à nihilo, accidens esse ens est contradistingui à nihilo*, ratio cōtradistincti à nihilo, apparet vt eadem cum differentia substantiæ, & accidentis; ergo appparet vt ratio diuersa; ergo est diuersa ratio, ac definitio non solum obiectiuè, sed etiam formaliter;

Ad 2. distinguo maiorem; omne nomen significans conceptum perfectè vnum, & perfectè pręscindentem à differentiis solum antequam attribuatur pluribus differentibus, est vniuocum, nego maiorem; etiam cum attribuitur pluribus differentibus, concedo maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Nomen entis, cum attribuitur differentiis, significat conceptum, quo ens apparet vt idem formaliter cum differentiis, adeoque vt non pręcisum à differentiis, neque vnum perfectè; ergo non est vniuocum.

Addo probabile mihi esse, quod conceptus entis non perfectè præscindat à substantia, sed semper exprimat substantiam. Probatur primò, quia Aristoteles, quem sequitur Sanctus Thomas,

 alii-

aliique communiter, pluribus in locis docet, quod ens dicitur multipliciter, ſicut ſanum. Ita 4 metaphyſ. textu 6. habet. *Ens autem multipliciter quidem, dicitur, verum ad vnum, vnamque quandam naturam, & non æquiuocè; ſed quemadmodum omne ſalubre ad ſanitatem, quoddam eo quod conſeruat, quoddam eo quod ſanat, quoddam eo quod ſignum ſanitatis, quoddam verò eo quod capax illius eſt* Et allatis aliis exemplis ſubdit; *ita & ens multipliciter quidem dicitur, ſed ad vnum principium. Quædam enim quia ſubſtantiæ entia dicuntur, quædam quia paſsiones ſubſtantiæ, quædam quia via ad ſubſtantiam, aut poſitiones, aut priuationes, aut qualitates, aut effectiua, aut generatiua ſubſtantiæ ſiue eorum quæ ad ſubſtantiam dicuntur.* Sed conceptus ſani non præſcindit ab animali ſano, quod eſt principale analogatum, ſed ſemper exprimit ipſum animal ſanum: cum enim dicitur, *color eſt ſanus*, dicitur color eſt ſignum, quod animal eſt ſanum, &c; ergo etiam conceptus entis non præſcindit à ſubſtantia, ſed ſemper exprimit ſubſtantiam.

Secundò probatur, quia ideò conceptus ſani non præſcindit ab animali ſano, quia cætera ſana dicuntur per ordinem ad animal ſanum, cum animal dicatur ſanum per ſe præſcindendo ab ordine

dine ad alia sana, sed etiam substantia dicitur ens per se pręscindendo ab ordine ad alia entia, ideoque definitur definitione absoluta, & sine additamento; accidens verò dicitur ens per ordinem ad substantiam, ideoque definitur entis ens, & per additamentum, vt dictũ est de prædicabilibus quæst. 37. ad primũ, ergo ens nõ præscindit perfectè à substãtia.

Tertio probatur, quia cum concipimus ens non possumus, pręscindere ab eo, quod est ens simpliciter, & absolutè, sicut cum dicimus *sanum* non possumus præscindęre ab eo, quod est sanum simpliciter & absolutè; sed sola substantia est ens simpliciter & absolutè; ergo &c. Ratio à priori potest esse quia sicut substantia est ens primum, ita est primum obiectum intellectus; accidentia sicut sunt entis entia, & totum suum esse habent per ordinem ad substantiã, ita cognosci non possunt, nisi per ordinem ad substantiam. Hinc est, vt licet sensus, qui est potentia cognoscitiua secundum quid, percipiat sola entia secundum quid, hoc est sola accidentia cognoscibilia secundum quid; intellectus tamen, qui est potentia cognoscitiua simpliciter, secundum naturalem modum intelligendi statim progrediatur ad cognitionem substan-

tiæ, quæ est ens simpliciter, & cognoscibile simpliciter, & visis accidẽtibus hominis e.g. non sistat in ipsis, sed progrediatur ad hominis substantiam, ac dicat, *id quod habet talia accidẽtia, talẽ figurã &c.*

Hinc primo colligitur, quod sicut quando dico *sanum*, vel intelligo solum sanum principaliter, hoc est animal habens sanitatem, vel si intelligo plura sana, cognosco expresse plures ordines ad sanitatem animalis; sic cum dico ens, vel intelligo expressè solam substantiã, vel intelligo expressè plures modos, quibus dicitur ens, aliud per se, aliud per ordinem ad substantiam: quod idem contingit in risu, & in cæteris analogis. Nec opponatur experientia, per quam videtur, quod cum dicimus *ens*, nihil expressè cogitamus de substantia. Primo enim dico, quod Aristoteles, & Sanctus Thomas, qui fuerunt acutissimi in notandis experientiis nostrorum actuum, experiebantur se intelligere substantiam. Secundo vnusquisque experitur, quod cum dicit *ens*, licet nil cogitet de nomine substantiæ, concipit ens absolutè, quod est sola substantia. Tertio ita est difficilè cum dicimus *ens* non intelligere substantiam, vt non solũ vulgus hominum, sed plurimi philosophi non possint intelligere, quod den-

tur

tur alia entia, quam ſubſtantię, vt atomiſtæ, qui dicunt ſola dari corpuſcula ſubſtantialia, non autem accidentia.

Colligitur ſecundo ens non eſſe vniuerſale propriè vnum, ſicut animal, ſed vnum impropriè, in quantum exprimit plura ordinata ad vnum, ſicut ſanum, ideoque eſſe vnum ſolum analogicè.

Colligitur tertio, quo pacto non ſint omninò identicæ, & omninò ſynonymæ propoſitiones, quibus dicitur *ſubſtantia eſt ens, & accidens eſt ens*. Ratio eſt quia cognoſcendo de ſubſtantia, & accidente, quod ſunt ens, magis penetro conuenientiam ſaltem fundamentalem, quam habent ſubſtantia & accidens.

Ad 3. Patet ex dictis ad analogiam ſufficere, vt differentię includant rationem communem, & pręterea ipſam rationem entis non pręſcindere à differentia, ſaltem ſubſtantiæ.

Ad 4. Ex proportionalibus rationibus, ex quibus ens ſtrictè ſumptum dicitur analogicè, etiam ens latè ſumptum dicitur analogicè, vt explicatum eſt in reſolutione quæſtionis. Addo conceptum entis communem enti reali, & chimerico, poſitiuo, & negatiuo, ſemper exprimere ens reale, cum ipſę chimeræ, & negationes concipiantur ad modum en-

entis realis ; ergo conceptus communis intelligibilis non prescindit ab ente reali.

Ad 5; Ens in quantum dicitur de substantia & accidente est analogum proportionis : in quantum dicitur de pluribus accidentibus est analogum attributionis. Ratio est, quia analogum proportionis est, cum nomen dicitur de duobus, aut pluribus, in quantum vnũ habet ordinem, & proportionem ad aliud ex illis pluribus; sed ens dicitur de substantia, & accidente, in quantum accidens in essendo habet ordinem, & proportionem ad substantiam, cum accidens sit ens substantiæ ; ergo ens dicitur de substantia, & accidente secundũ analogiam proportionis. At analogum attributionis est, cum nomen dicitur de pluribus, in quantum illa plura habent ordinem, & proportionem ad vnum non inclusum in illis pluribus, eo pacto, quo sanum dicitur de medicina, & colore, in quantum habent ordinem ad animal sanum; sed plura accidentia, e g. quantitas, qualitas &c dicuntur entia, in quantum habent ordinem, & proportionem ad eandem substantiam ; ergo &c. Quod verò analoga proportionis, & attributionis differant modo explicato, docet Sanctus Thomas prima parte

q. ęst.

quęst. 13. art. 5. in corpore; *Dicendum igitur, quod huiusmodi nomina dicuntur de Deo, & creaturis secundum analogiam, id est proportionem, quod quidem contingit dupliciter in nominibus, vel quia multa habent proportionem ad vnum, sicut sanum, dicitur de medicina, & vrina, in quantum vtrumque habet ordinem, & proportionem ad sanitatem animalis, cuius hoc quidem signum est, illud verò causa; vel ex eo quod vnum habet proportionem ad aliud, sicut sanum dicitur de medicina, & animali, in quantum medicina est causa sanitatis, quę est in animali.*

Vtrum secundæ intentiones, siue ens rationis logicum constituatur per aliquod esse diminutum, aut fictum. Quæstio XLVI.

VIdetur vera sententia, quæ tribuitur Scoto in 1. dist. 2. quęst. 2. & dist. 35. quæst. vnica, quod secundæ intentiones, siue entia rationis logica, e.g. cognitum, prædicatum, subiectum &c. constituantur formaliter per quoddam esse diminutum resultans in rebus ex cognitione; 1. quia ex omnibus actionibus resultat aliquid in obiecto, seu

termino talium actionum; e. g. ex actione calefactiua resultat in corpore calefacto calor, quo constituitur formaliter calidum &c; sed cognitiones sunt actiones cognosciciuę; ergo ex cognitionibus resultat in obiectis aliquid, quo constituantur formaliter cognita; hoc, quod resultat est purum esse rationis, ac diminutum, non autem reale; ergo entia rationis logica constitnuntur per aliquod esse diminutum, & rationis. Probatur subsumptum, quia esse, quod non immutat res, non requirit subiectũ reale, & existens, & pendet ab actu rationis, etiam in conseruari, non est esse reale, sed solum rationis, ac diminutum; sed esse cogniti non requirit subiectum reale; nam licet quod non est non posit calefieri, potest cognosci, cum Antichristus, qui non est, cognoscatur, & prætereà pendet ab actu rationis etiam in conseruari; tandiu enim Petrus est cognitus, quandiu durat actus rationis cognoscens Petrum; ergo &c.

2. Pati est recipere aliquid intrinsecum; sed cognosci est pati; ergo cognosci est recipere aliquod esse intrinsecum; hoc esse non est reale; ergo rationis, & diminutum.

3. Videtur vera opinio plurium Thomi-

mistarum, quod ens rationis logicum constituatur per aliquod esse cogniti non resultans à parte rei in obiecto, sed fictum ab intellectu. Per illud enim obiectum constituitur cognitum, quod intellectus cognoscit, dum iudicat illud esse cognitum; sed intellectus dum iudicat Petrum esse cognitum e. g. apprehendit aliquid, per quod cognitio afficiat intrinsecè Petrum, hoc verò est fictum; ergo obiectum constituitur cognitum per aliquid fictum.

Respondeo potentias intentionales per actus cognoscendi, amandi &c. non tribuere obiectis vllum esse diminutum intrinsecum ipsis. Probatur primo, quia vel hoc esse diminutum, & rationis dicit aliquam perfectionem, & addit vniuerso pulchritudinem, vel non; neutrum dici potest; ergo &c. Probatur minor: si enim dicit perfectionem, & addit vniuerso pulchritudinem, est ens reale, cum solum ens reale addat vniuerso pulchritudinem; si nullam dicit perfectionē, est quid omninò superfluū; quid enim magis superfluum, quam quod ita ponitur, vt nullam dicat perfectionem, nec addat vniuerso vllam pulchritudinem? sed natura nihil ponit superfluum; ergo non dantur hæc entia diminuta. Nec dicas talia entia es-

se

se necessaria, vt obiecta constituantur cognita, adeoque non esse superflua. Nam contra est, quia hæc ipsa est implicantia, quod vt obiecta constituantur cognita sit necessarium aliquid omninò superfluum; sed quod nullam perfectionem, aut pulchritudinem ponit est omninò superfluum; ergo non est necessarium.

Probatur secundo à priori ex natura actionis cognoscitiuæ. Actio enim cognoscitiua ordinatur ad hoc, vt cognoscens per cognitionem fiat quodammodo obiectum, & trahat ad se perfectionem obiecti, vt sępè dictum est, pręsertim in quæstionibus procemialibus; sed vt cognoscens trahat ad se perfectionem obiecti, non debet producere aliquod esse intrinsecum obiecto, sed solum aliquod esse intrinsecum, & perfectiuum cognoscentis, à quo obiectum denominetur cognitum purè extrinsecè; ergo per cognitionem non producitur illum esse cognitum intrinsecum obiecto, sed solum aliquod esse intrinsecum perfectiuum cognoscentis, ac denominans obiectum purè extrinsecè.

Dico secundo: res constituuntur formaliter cognitę non per aliquid fictum, sed per cognitionem intrinsecam cogni-

gnoscenti, ac denominantem res purè extrinsecè. Probatur, quia per illud esse res constituuntur cognitæ, quod affirmamus de rebus, dum dicimus sine errore, *res est cognita*; sed cum sine errore dicimus, *Petrus est cognitus*, affirmamus, quod cognoscens habet esse cognitionis intrinsecum sibi, ac solum extrinsecè versans circa Petrum, non autem affirmamus, quod res habeant vllum respectum fictum ad cognitionem; ergo &c.

Dico tertio: probabile est intellectũ nostrum, dum tribuit rebus denominationes extrinsecas cogniti, prędicati, subiecti &c. habere fundamentum concipiendi in rebus aliquam relationem fictam, illamque sæpè concipere. Probatur, quia cum intellectus concipit Petrum esse cognitum, intelligit cognitionem, vt formam denominantem Petrum; sed intellectus est assuetus cognoscendis primo formis intrinsecis, quales sunt cognitiones, volitiones, visiones, calor, frigus &c, adeoque habet species repræsentatiuas formarum, vt intrinsecarum: ergo habet fundamentũ concipiendi formam, à qua Petrus constituitur cognitus, vt intrinsecam Petro, & sic fingendi ens, & relationem rationis. Confirmatur, quia sumus assueti

ſueti cognoſcendis relationibus mutuis; ergo ſicut cognoſcimns cognitionem habere relationemad obiectum, ſic habemus fundamentum concipiendi, quod obiectum habeat intrinſecam relationem ad cognitionem; ſed talis relatio eſt ficta; ergo &c.

Hinc colligitur, in quo ſenſu dicant auctores antiqui ſecundas intentiones haberi à relationibus rationis. Senſus eſt, quod intellectus, dum tribuit denominationes ſecundo intentionales, habet fundamentum concipiendi relationes fictas, & rationis. In eodem ſenſu dicunt, quod prędicatum, & ſubiectum conſtituuntur per relationem rationis ſubiecti ad prędicatum, ac prædicati ad ſubiectum. Eodem pacto ſunt explicãdi, dum dicunt Deum conſtitui creatorem &c. per relationem rationis.

Ad 1. Diſtinguo maiorem, ex omnibus actionibus ordinatis ad hoc, vt per illas agens communicet termino perfectionem aliquam, quam pręſupponitur habere in ſe, producitur aliquid in obiecto, ſeu termino, concedo maiorem; ex omnibus actionibus ordinatis purè ad hoc, vt agens trahat ad ſe perfectionem obiecti, & termini, reſultat aliquid in obiecto, ac termino, nego maiorem; diſtinguo eodem pacto minorem

rem, & nego consequentiam. Duplex est actio. Prima ordinatur ad hoc, vt agens communicet obiecto, seu termino aliquam perfectionem, quam agens præsupponitur habere in se, & ex hac resultat aliquid in obiecto, seu termino; e. g. quia illuminatio est actio, qua luminosum communicat illuminabili perfectionem lucis, quam præsupponitur habere in se, ex illuminatione resultat persectio lucis in corpore illuminato, idemq; dic de calefactione &c. Secunda actio est, quæ ordinatur purè ad hoc, vt agens trahat ad se perfectioné, quę præsupponitur esse in obiecto; & ex hac nihil resultat in obiecto, vel termino, sed solum in agente. Actio cognoscitiua ordinatur purè ad hoc, vt cognoscens trahat ad se perfeetionem, obiecti cogniti, vt dictum est in secunda probatione conclusionis; ergo nihil ex illa resultare debet in obiecto, sed solum in cognoscente.

Ad 2. Distinguo maiorem; pati physicè est recipere aliquid intrinsecè, concedo maiorem; pati purè grammaticaliter, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Pati purè grammaticaliter est purè terminare aliquam actionem, vel relationem, nihil intrinsecè recipiendo. Cogno-

gnosci, amari, videri &c. est pati purè grammaticaliter, cum sit purè terminare cognitionem, amorem, &c. ideoque non est recipere, aliquid intrinsecè. Et confirmatur, quia etiam Deus cognoscitur, & tamen nihil intrinsecè potest recipere; ergo &c.

Ad 3. Distinguo maiorem; per illud obiectum constituitur cognitum, quod intellectus cognoscit affirmatiuè, dum iudicat sine errore obiectum esse cognitum, concedo maiorem: quod concomitanter cognoscit purè apprehensiuè, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Obiectum constituitur cognitum, non per illud, quod concomitanter apprehẽdimus, sed per illud, quod affirmamus dum iudicamus sine errore obiectum esse cognitum, vt dictum est in probatione secundę conclusionis.

Vtrum ens possibile constituatur per aliquod esse diminutum.
Quæstio XLVII.

VIdetur vera sententia Henrici, Scoti, & plurium aliorum, quod mundus, & omnes creaturæ fuerint possibiles ab æterno, & necessariò non

solum

solum per denominationem purè extrinsecam à potentia actiua Dei potentis illas producere, sed etiam per aliquam possibilitatem, seu potentiam passiuam intrinsecam ipsis creaturis, quæ possibilitas, vel sit quoddam esse reale essentiæ, quod creaturę habent necessariò, & ab æterno, vt insinuat Henricus; vel sit quoddam esse diminutum resultans ex diuina cognitione, eo pacto, quo ex cognitione creata resultat esse diminutum cogniti, vt indicat Scotus; vel sit quędam negatio repugnantię, per quam mundus, homo, equus &c. non implicabant contradictionem, vt dicunt multi recentiores, vel sit quoddam esse conditionatum, per quod verificaretur, quod si poneretur mundus, homo, ęquus &c. non sequeretur contradictio, vt docent alii; 1. quia cuilibet potentiæ actiuæ debet proportionaliter corespondere potentia passiua; sed omnipotentia Dei est potentia actiua, quæ potest facere quidquid est possibile; ergo debet in creaturis dari potentia passiua, qua sint possibiles, & possint à Deo produci.

2. Debet dari aliqua ratio, propter quam Deus e.g. non possit producere hircoceruum, hominem posit producere; sed hæc ratio non potest esse alia, nisi

nisi quia homo per se ipsum non implicat, & est possibilis, hircoceruus per se ipsum est impossibilis, & implicat; ergo preter diuinam potentiam datur possibilitas, & impossibilitas passiua ex parte creaturarum.

3. Quod per se ipsum non repugnat, per se ipsum est possibile aliqua possibilitate; sed homo e. g. per se ipsum præscindendo à diuina omnipotentia non repugnat; ergo per se ipsum est possibilis, atque adeò præscindendo à Diuina omnipotentia datur possibilitas hominis, & aliarum creaturarum. Minor probatur, quia si negetur hæc propositio, *homo per se ipsum non repugnat*, sequitur contradictoria, quę est *homo per se ipsum repugnat*; hęc secunda propositio est manifestè falsa; ergo prima est manifestè vera.

4. Vna forma simplex, & indiuisibilis non potest tribuere subiectis diuersã denominationem, nisi subiecta supponãtur esse diuersa; sed omnipotentia Dei est forma simplex, & indiuisibilis; ergo non potest ab æterno tribuere homini denominationem possibilis, hircoceruo denominationem impossibilis, nisi supponatur, quod ab æterno homo per se ipsum sit homo, adeoque differens ab hircoceruo, qui per se ipsum est hircorceruus.

Confirmratur, quia homo ab æterno est animal rationale, equus ab ęterno est animal irrationale: quomodo ab eadem implici entitate Dei homo habet denominationem rationalis, equus irrationalis, nisi supponatur diuersitas intrinseca inter hominem & equum?

5. Per illud homo non implicat, quod olum debeo considere, vt iudicem, quod on implicat; sed vt iudicem, quod homo non implicat, nihil debeo cogitare e Deo, sed sufficit, vt considerem redicata intrinseca hominis; ergo non nplicat per sua prędicata intrinseca. imiliter homo est necessario, & ab ęrno animal rationale per sua prędica intrinseca; ergo habet aliquod esse, aliquam possibilitatem aternam, & ecessariam per sua prędicata intrinca, præscindendo ab omnipotentia ei.

6 Alius mundus iuxta hanc sentenm est nihil, & nullum habet esse innsecum; ergo cum dico *alter mundus possibililis*, dico, quod nihil est possibi. Rursus esse possibile est Deus; ergo o, quod mundus est Deus; vel falı affirmo, quod existit Deus, qui est sibilitas mundi. Rursus sequeretur, od idem affirmarem, cum dico *homo possibilis*, ac *cum dico equus est possibilis*; affir-

affirmarem enim possibilitatem hominis, & equi, quę est idem Deus: idem esset *hominem esse necessario animal rationale*, ac *equum esse necessario animal binnibile*; nam hominem *esse animal rationale* est dari necessitatem, vt si sit homo, sit animal rationale, equum *esse animal hinnibile* est dari necessitatem, vt si sit equus sit animal hinnibile; sed hęc necessitas est idem Deus; ergo idem est hominem esse animal rationale, ac equum esse animal hinnibile.

7. Omnes actus scientifici affirmant aliquam veritatem necessariam, & æternam; sed omnis veritas necessaria, & æterna est Deus; ergo omnes actus scientifici affirmant Deum: immò obiectum formale motiuum ad omnes actus scientificos esset Deus; obiectum enim formale motiuum actus scientifici est necessaria connexio inter prædicatum & subiectum; sed hęc necessaria connexio est Deus; ergo &c.

8. Possibilitas cuiuscunque est Deus; ergo impossibilitata quacumque creatura, tolleretur Deus; ergo Deus dependet à possibilitate creaturarum. Illud enim dependet ab aliquo, quod illo ablato, remanere non potest.

Respondeo possibile potest sumi tripliciter, latè, strictè, ac strictissimè.

Pos-

Possibile latè est, quod non est impossibile. In hoc sensu etiam ens necessarium, quod est Deus, est possibile, cum non sit impossibile. Possibile strictè est, quod non est impossibile, neque necessarium, sed contingens, ac potens esse, & non esse. In hoc sensu solę creaturæ sunt possibiles, non verò Deus. Possibile strictissimè, seu merè possibile est, quod neque est impossibile, neque necessarium, neque existens pro vlla differentia temporis. In hoc sensu alter mundus est purè possibilis, quia ita potest esse, & non esse, vt nunquam sit extiturus. E conuersò hic mundus non est merè possibilis, quia existit; Antichristus non est merè possibilis, quia existet; Iulius Cæsar non est merè possibilis, quia extitit.

Dicendnm igitur primo, quod ens increatum, & à se, hoc est Deus est possibilis in primo sensu per se ipsum, & possibilitate identificata cum sua existentia. Probatur, quia si possibilitas entis à se distingueretur ab eius existētia, ens à se non esset à se, sed ab alio. Probatur sequela: vnumquodque enim existit virtute suę possibilitatis ad existendum; sed possibilitas entis à se distingueretur ab ipso; ergo ens à se existeret virtute alicuius distincti ab ipso; sed

urę non existunt,essentia creaturarum, quę iuxta primam conclusionem est possibilitas intrinseca ipsarum, non existit, sed potest existere; ergo creaturæ quando non existunt, sunt possibiles possibilitate intrinseca purè potentiali.

Dicendum tertio: creaturę non existentes pro vlla differentia temporis sũt possibiles in tertio sensu possibilitate actuali merè extrinseca per denominationem à potentia creata, vel increata producendi illas. Probatur, nam potẽtia adæquata vt aliquid existat est quædam possibilitas illius, adeoque potest illud denominare possibile; e. g. potentia illuminandi est possibilitas illuminationis;sed etiam quando creaturę non existunt,datur actu potentia completa illas producendi; e. g. datur actu in Deo potentia completa producendi alterum mundum non existentem; datur in me potentia completa faciendi multas actiones, quas nunquam faciam; ergo creaturæ nunquam existentes sunt possibiles possibilitate actuali merè extrinseca per denominationem à potentia creata, vel increata ponendi illas. Hinc verò colligitur aliqua non existẽtia denominari possibilia extrinsecè etiã à potentia actiua creaturarum actu existentium.

nem, vel non; neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur, quia si dicit perfectionem, est ens reale, atque adeò est necessarium, & æternum aliquod ens reale distinctum à Deo, quod est absurdum, nam solus Deus est necessarius, & æternus, quodlibet verò aliud ens reale est contingens. Confirmatur, quia vel possibilitas habet hanc perfectionem à Deo, vel non; nō potest dici, quod illam habeat à Deo, quia Deus nulli communicat necessario perfectionem finitam; neque potest dici, quod illam habeat à se, quia omnis perfectio est Deus, vel est à Deo. Si verò nullam dicit perfectionem, absurdum est, quod sit necessario. Sicut enim est absurdum, quod sit necessarium aliquid dicens perfectionem solum finitam, à fortiori est absurdum, vt sit necessarium quod nullam dicit perfectionem. Confirmatur, quia est absurdum, vt sit necessarium aliquid superfluum, inutile, & non bonum; sed quod nullam dicit perfectionem eo ipso est omninò superfluum, inutile, & & non bonum; ergo &c.

Tertio probatur, quia quod necessario ab æterno detur aliquod esse distinctum à Deo, vt insinuat Henricus, est parum conforme principiis fidei, quę docet omne ens reale, aut esse Deum,

aut à Deo factum fuisse in tempore: quod à Deo necessario, & ab ęterno pullulet illud esse diminutum, quod ponit Scotus, est parum consonum rationi, quę persuadet ens infinitè bonum, & perfectum, ac sibi sufficientissimum non necessitari ad hoc, vt ex ipso pullulent innumera entia diminuta nullam dicentia perfectionem, sicut non necessitatur ad hoc, vt pullulent entia creata dicentia perfectionem finitam: quod detur esse conditionatum, vt docet tertius modus explicandi, non soluit difficultatem, quia hoc esse conditionatum, per quod verificatur, quod si daretur homo, non sequeretur contradictio, datur absolutè; ergo redit difficultas in explicando quid sit, positiuumne, vel negatiuum. Demum quod possibilitas sit mera negatio impossibilitatis est difficile, quia potius impossibilitas est negatio possibilitatis, ac veluti tenebræ, possibilitas verò est aliquid positiuum, ac veluti lux. Nam possibilitas spectat ad bonum, & perfectionem rei possibilis, non autem impossibilitas.

Quarto probatur, quia fuit hęresis Manicheorum, quod ab æterno necessario extiterint duo prima principia, alterum bonum, quod est Deus, alterum ma-

malum ; sed sententia ponens possibilitatem passiuam actualem distinctam à Deo ponit ab æterno duo principia rerum, alterum infinitè bonum, & perfectum, hoc est Deum, alterum non bonum, sed defectuosum, nimirum possibilitatem passiuam distinctā à Deo, in quocunque tandem consistat; ergo allata sententia videtur procedere secūdum modum philosophandi Manichęorum. Nec dicas possibilitatem passiuam non prærequiri vt principium rerum: nam primo prærequiritur vt principium passiuum: secundo illud quod prærequiritur, vt res possit esse, pręrequiritur vt principium: potentia enim vt res sit manifestè est principium; sed hęc possibilitas passiua pręrequiritur, vt res posit esse; ergo prærequiritur vt principium; ergo prærequiruntur duo principia, alterum bonum, alterum nō bonum, ex quo possent inferre Manichei non esse absurdum, quod pręrequiratur principium malum. Confirmatur, quia videtur etiam hęc sententia procedere secundum principia ethnicorum, qui ab æterno pręter summum Deum, qui est ens optimum, posuerunt alios Deos non optimos, neque perfectissimos. Nam pręter Deum, qui est optimus, ponit istas possibilitates non optimas. Cō-

 firma-

firmatur, quia quæ magis distant à diuina bonitate magis distant à diuina necessitate; Deus enim est necessarius ratione suæ bonitatis infinitę; sed possibilitates istæ magis distant à diuina bonitate, quam Dii secundarii gentilium; ergo magis distant à diuina necessitate, ergo si adhuc istæ possibilitates sunt necessario, à fortiori poterunt inferre nō esse absurdum, vt dentur Dii secundarii necessario. Confirmatur demum, quia in hac materia valet argumentum, quo Manicheus ralatus à Sancto Augustino ex eo, quod catholicus concesserit muscam non esse conditam à Deo, intulit nec hominem, nec mundum corporeum esse conditum à Deo. Si enim possibilitas aliqua distincta à Deo est ęterna, & necessaria, etiam mundus poterit esse æternus, & necessarius iuxta errorem gentilium.

Ad 1. Distinguo maiorem; cuilibet potentiæ actiuæ non creatiuæ ex nihilo debet correspondere potentia passiua intrinseca, concedo maiorem; etiam creatiuę ex nihilo, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Potentię creatiuæ ex nihilo non potest correspondere potentia passiua actualis: eo enim ipso non crearet ex nihilo, sed ex aliqua potentia

pas-

passiua ; sed omnipotentia est virtus creandi ex nihilo ; ergo &c.

Ad 2. Distinguo maiorem; debet dari aliqua ratio, propter quam Deus possit producere hominem , & non hirceruum , quæ ratio sit distincta à Deo , qui est prima ratio omnium rerum ; nego ; quæ sit identificata cum Deo, concedo ; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam . Primæ rationis non potest dari ratio distincta: eo enim ipso non esset prima ratio; sed diuina essentia & potentia est prima ratio omnium rerum , & omnium veritatum ; ergo non potest ipsius dari ratio distincta ; ergo licet sit verum , quod ratio cur Deus possit facere hominem , & non hircoceruum sit , quia homo est possibilis , hircoceruus impossibilis , tamen prima possibilitas hominis , & prima impossibilitas hircocerui debet esse ipsa diuina essentia , quia alioquin daretur ratio distincta primę rationis . Deus igitur est prima , & æterna possibilitas, ac necessaria non implicantia omnium possibilium , & prima impossibilitas omnium impossibilium . Hinc patet , quod qui quærunt rationem obiectiuam distinctã à Deo, propter quam possit facere hæc, & non alia,quærunt rationem primæ rationis . Patet pręterea quod tales aucto-

quam necessitatem fatalem non intellectualem. Iam enim prima ratio, cur diuinus intellectus cognoscat hominem esse animal rationale &c. sunt veritates obiectiuæ non intellectuales; ergo si aliquid non intellectuale potest esse necessaria ratio primi intellectus, à fortiori aliquid non intellectuale poterit esse ratio mundi; ergo prima ratio mundi non erit intellectus, sed casus, vel necessitas non intellectualis. Licet verò nulla detur ratio obiectiua distincta à Deo, propter quam Deus possit facere hominem, non hircoceruum, tamen datur ratio per quā nos cognoscimus à posteriori Deū posse facere hominem, non hircoceruū, quę ratio est ipsa non implicantia potētialis intrinseca homini, vt dicetur in responsione ad quintū, per quam à posteriori cognoscimus Deum posse facere hominem. Nam licet Deus sit causa, cur sint creaturæ, tamen creaturę sunt causa, per quam cognoscimus Deum, vt sæpe dictum est.

Ad 3. Iam est concessum conclusione secunda, quod creaturæ quando existūt, per se ipsas non repugnant, & sunt intrinsecè possibiles possibilitate actuali; quando non existunt per se ipsas sunt possibiles possibilitate purè potentiali. Ex duabus igitur propositionibus contradi-

tradictoriis, *homo per se ipsum non repugnat; homo per se ipsum repugnat*, vera est negatiua, si accipiatur de non repugnantia purè potentiali, non verò de actuali. Cum enim homo non existit actualiter, nullum prędicatum ipsi intrinsecum existit actualiter. Similiter ex duabus propositionibus contradictoriis *homo est possibilis per se ipsum; homo nõ est possibilis per se ipsum* est vera affirmatiua, intelligendo de possibilitate purè potentiali; si verò intelligatur de possibilitate actuali, vera est negatiua, quia sicut homo, cum non existit, nullam habet actualitatem intrinsecam, sic nullam habet possibilitatem actualem intrinsecam, sed est possibilis possibilitate actuali purè extrinseca, vt dictum est conclusione tertia.

Ad 4 Distinguo maiorem; forma simplex, & indiuisibilis, quę non sit prima intellectio, & prima idea, non potest tribuere subiectis diuersam denominationem, nisi subiecta sint antecedẽter diuersa, concedo; quæ sit prima idea, & prima intellectio, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Prima ratio, cur homo sit possibilis, hircoceruus impossibilis, non supponit hominem esse possibilem, hircoceruum imposs ibilem; alioquin

non

non esset prima ratio, sed supponeret rationem priorem; sed prima ratio rerum, & veritatum debet esse prima intellectio, hoc est intellectio diuina, vt dictum est in responsione ad secundũ, & alibi probabitur; ergo intellectio diuina non supponit hominem esse possibilem, hircoceruum impossibilem. Simplex igitur essentia, & intellectio Diuidiuina denominat primò hominem possibilem, & rationalem, equum possibilem, & irrationalem, quia est prima simplex ratio, propter quam res sunt id, quod sunt, & non sunt id, quod non sunt.

Ad 5. Distinguo maiorem; per illud solum homo non implicat purè potentialiter, quod solum debeo considerare, vt iudicem, quod non implicat non implicantia purè potentiali, concedo; per illud non implicat non implicantia actuali, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Cum considero, vtrum homo implicet, necne, possum considerare, vtrum homo habeat, vel non habeat aliquam implicantiam potentialem, & tunc considero sola prędicata intrinseca purè potentialia; ex eo verò, quod videam hominẽ habere non implicantiam purè potẽtialem, cognosco dari actu non implican-

tiam hominis, & tunc non considero solum hominem, qui non est actu, sed aliquam nō implicantiam hominis actu, ac necessariò existentem, quę est Deus; ergo condero Deum sub ratione non implicantiæ necessario existentis. Similiter homo est necessario, & ab ęterno animal rationale purè potentialiter per sua prædicata intrinseca; at cum dico, quod est necessario animal rationale, cognosco etiam, quod datur actu aliqua necessitas, vt homo sit animal rationale. Hinc colligitur, quod in omnibus propositionibus affirmatur aliqua existētia, siue vltima actualitas verificatiua propositionis. Cum enim dico rem esse, affirmatur esse rei; cum dico rem non esse, affirmatur non esse rei; cum dico rem esse possibilem, affirmatur dari possibilitatem rei; cum dico rem esse impossibilem, affirmatur dari impossibilitatem rei; cum dico rem esse necessario talem, affirmatur dari necessitatem, vt sit talis. Et quia propositiones scientificę semper affirmant prædicatum necessario conuenire subiecto, ideo semper affirmant dari necessitatem, vt prædicatum conueniat subiecto, quæ est vltima actualitas affirmata in propositionibus scientificis.

Ad 6. Distinguo antecedens; alius mun-

mundus est nihil, hoc est ens non actu existens, concedo; est nihil, hoc est nullum obiectum, vel negatio entis, nego antecedens; & distinguo consequens; ergo cum dico, *alter mundus est possibilis* dico, quod nihil, hoc est certum obiectū non existens est possibile, concedo consequentiam; dico, quod nihil, hoc est nullum obiectum, vel negatio omnis entis est possibilis, nego consequentiam. Cum dico *alter mundus est possibilis*, sensus est, quod certum obiectum actu non existens est possibile. Ad aliam instantiam concedo antecedens, & nego consequentiam. Sicut enim non idem est cognitum, & cognitio, sic non idem est possibile, & possibilitas. Deus est prima possibilitas, ideoque licet possit dici *mundus est possibilis*, non potest dici, *mundus est prima possibilitas* ideoque non potest dici mundus est Deus, quia Deus non est possibilis, sed prima possibilitas mundi. Dum infertur; ergo cum dico, *mundus est possibilis*, affirmo Deum, distinguo, affirmo Deum in obliquo, tanquā vltimam actualitatem, qua mundus constituitur possibilis, concedo; affirmo Deum in recto, tanquam prædicatum, aut subiectum principale propositionis, nego; & nego consequentiam. Eodem pacto distinguo aliam propositionem;

idem

idem affirmo, dum dico, *homo est possibilis, & rationalis, equus est possibilis, & hinnibilis* identicè, & tanquam vltimam actualitatem, concedo; formaliter, & tanquam prædicatum, aut subiectum principale propositionis, nego. Cum dico *homo est possibilis, & rationalis*, affirmo tanquam prædicatum principale possibilitatem, & rationalitatem potentialem identificatam cum homine; at cum dico *equus est possibilis*, affirmo possibilitatem, & hinnibilitatem identificatam cum equo, quę sunt potentialiter diuersę: at affirmo tanquam vltimam actualitatem possibilitatem primam vtriusque, quæ est realiter idem, sed formaliter, & per conceptum diuersa.

Ad 7. Concedo, quod omnes actus scientifici affirmant Deum tanquam vltimam actualitatem, ita tamen, vt affirment prędicata principalia potentialiter diuersa, & creata: nego tamen, quod Deus sit obiectum formale actuum sciētificorum, sed dico, quod prędicata potentialiter diuersa, & creata sunt motiuum affirmandi Deum sub conceptu necessariæ connexionis talium predicatorum. Intellectus enim noster comparādo hominem, & animal rationale, quę sunt prædicata potentialia, mouetur ad dicendum, quod datur necessaria connexio

nexio inter illa quæ connexio est Deus. Termini scilicet apprehensi sunt motiuum propositionis per se notæ, qualis est hęc, *homo necessario est animal rationale*. Sicut verò bonum potentiale existens est motiuum *vt quod* amoris, vt dicetur quęst. 16. phys. sic termini apprehensi sunt motiuum *vt quod* assensus; ergo patet scientras habere pro obiecto formali terminos obiectiuos creatos, non verò Deum.

Ad 8. Concedo antecedens, & primam consequentiam, ac nego secundam consequentiam, ac distinguo probationem; illud dependet, quod ablato altero distincto, remanere non potest, concedo; quod ablato altero identificato, nego. Dependere est non posse remanere, ablato altero distincto; at quod nō potest remanere, si auferatur ipsummet, non dependet. Deus secundum suam essentiam potest remanere, ablato quocumque distincto ab ipso; at remanere nequit, ablata possibilitate, quæ est ipse Deus, ergo est perfectissimè independens. In contraria potius sententia ablatis possibilitatibus distinctis remanere non potest; ergo dependeret à possibilitatibus distinctis, adeoque etiam ex hoc capite reiicienda est illa sententia.

Quę-

Vtrum impossibile concipiatur, & consistat in aliquo diminuto. Quæstio XLVIII.

VIdetur vera ſententia Bernardini Mirandulani, quem ſequuntur aliqui recentiores, quod non poſsit concipi vllum impoſsibile contradiſtinctū ab omnibus possibilibus, ſed ſolum poſſint concipi poſsibilia modo cognoſcendi indebito, hoc eſt vel compoſitiuo eorum, quę non debent componi, ſed diuidi, vel diuiſiuo eorum, quę non debent diuidi, ſed componi, à quo modo cognoſcendi obiectum denominetur ſecundo intentialiter impoſsibile; e. g: quod cum dico *alter Deus*, concipiam alterum, & Deum, quorum vtrumque eſt poſsibile, ſed indebitè componendo cōpoſitione intelligibili, qua dico *alter Deus*; 1. quia eodem pacto intellectus concipit impoſsibile, quo concipit incognoſcibile; ſed cum concipit incognoſcibile, non concipit vllum obiectū, de quo verificetur, quod ſit incognoſcibile, alioquin incognoſcibile cognoſceretur

retur, quod implicat, ſed concipit cognoſcibile modo cognoſcendi indebito, quo applicat ipſi negationem dicens, *non cognoſcibile*, ita vt ly *non* ſit modus cognoſcendi; ergo cum concipit impoſsibile, non concipit obiectum, quod verè ſit impoſsibile, sed concipit poſsibile, applicans ipſi indebitè negationem, ac dicens *non poſſibile*, ita vt ly *non* ſit modus cognoſcendi; ergo tum impoſsibile, tum incognoſcibile non ſunt aliquid primo, ſed ſecundo intentionale denominatum à modo cognoſcendi applicatiuo negationis.

2. Si conciperetur impoſsibile, deberet de eo verificari, quod ſi poneretur, includeret, aut traheret duo contradictoria; e. g. ſi conciperetur hircoceruus impoſsibilis, verificaretur de eo, quod ſi poneretur, eſſet hircus, & non eſſet hircus, eſſet ceruus, & non eſſet ceruus; ſed non poteſt de impoſsibili hoc verificari; ergo &c. Minor probatur, quia iſtę propoſitiones, *hircoceruus eſſet hircus, & non eſſet hircus* ſunt contradictoriæ, cum vna neget id pręcisè, quod altera affirmat; ergo qui dicit, quod nunc eſt vera vtraque propoſitio, dicit verificari contradictoria, & ſibi contradicit. Confirmatur primo, quia idem eſt, quod vna propoſitio ſit vera, ac quod contradi-

sit falsa; sed est vera hæc propositio, *hircoceruus si daretur, esset hircus*; ergo est falsa contradictoria, quod non esset hircus; ergo non est verum, quod si daretur hircoceruus, esset hircus, & non esset hircus; ergo non est verum, quod si daretur impossibile, verificarentur cõtradictoria. Confirmatur secundo, quia duo contradictoria se mutuo falsificant; ergo qui dicit, quod si daretur impossibile, esset, & non esset, dicit duo se mutuo falsificantia; sed qui dicit duo se mutuo falsificantia, non dicit verum; ergo non est verum, quod si daretur impossibile, sequerentur duo contradictoria; ergo non est verum, quod concipiatur vllum obiectum impossibile, hoc est tale, vt si daretur, sequerentur contradictoria.

3. Si dicatur, quod impossibile non est compositum formaliter ex duobus contradictoriis, sed est simplex includens vnam tantum partem contradictionis, & exigens aliam; e. g. quod hircoceruus si daretur, esset solum hircus, sed exigeret non esse hircus; contra est, quia impossibile non est simplex, vt docet Sanctus Thoma primo contra gentes, cap. 84. & probatur ratione; quia in tantum aliquid simplex in sensu explicato esset impossibile, in quantum

tra-

traheret duo contradictoria, sed id, quod trahit duo contradictoria includit formaliter duo contradictoria; ergo non est simplex, sed compositum ex duobus contradictoriis. Minor probatur: trahit, & non trahit; ergo &c. Quod trahat, supponitur, quod non trahat: probatur; quod trahit vnam partem contradictionis, eo ipso excludit aliam, adeoque illam non trahit; sed hircoceruus traheret esse hircum; ergo excluderet non esse hircum; ergo non traheret non esse hircum; ergo traheret, & non traheret.

4. Si conciperetur aliquod impossibile, maximè identitas hominis cum equo, negatio Dei, quarta persona Diuina, &c; sed non concipiuntur hęc impossibilia; ergo &c. Minor probatur, quia vel illud, quod concipitur, & vocatur identitas hominis cum equo, ponit aliquid supra hominem, & equum, vel non; si ponit aliquid supra hominem, & equũ, non est identitas hominis, & equi, quia identitas duorum nihil ponit pręter duo identificata; si nihil ponit supra hominem, & equum; ergo id, quod concipitur, nihil aliud est, quam homo, & equus; sed homo, & equus sunt possibiles; ergo nihil concipitur pręter duo possibilia. Et confirmatur, quia homo,

& equus

& equus non ſunt mutua identitas, ſed mutua diſtinctio; ergo non cõcipitur identitas, ſed diſtinctio hominis, & equi. Similiter quod concipimus non eſt negatio Dei; negatio enim Dei deberet excludere ens, quod non poteſt excludi; ſed illa negatio, ſi daretur excluderet ens, quod de facto excluderetur, adeoque poſſet excludi; ergo non eſſet negatio Dei; ergo non concipimus negationem Dei. Pręterea quarta perſona diuina deberet eſſe idem Deus cum tribus perſonis; ſed illa perſona, quam concipimus, non eſſet idem Deus cum tribus perſonis; ſicut enim hic Deus non eſt quarta perſona, ſic quarta perſona non eſt hic Deus: ergo &c.

5. Si conciperetur impoſſibile, non cognoſceretur per ſpecies proprias, quia nullas emittit ſpecies; ergo cognoſceretur per ſpecies entis realis; ſed ſpecies entis realis poſſunt ſolum repręſentare alia entia realia ſimilia; ergo non poſſunt repræſentare impoſſibile, quod eſt omninò diſsimile ab ente reali. Et confirmatur, quia cum intellectus ſit potentia realis, debet eſſe ſolum cognoſcitiuus entis realis, non autem impoſſibilis.

6. Etiam intellectus diuinus, & angeli-

gelicus cognosceret impossibile; sed si intellectus diuinus cognosceret impossibile, fingeret, & faceret ens rationis; ergo &c.

Confirmatur, quia deberet cognoscere infinita impossibilia, & preterea deberet scire, quid agentia libera essent factura sub hac, vel illa suppositione impossibili, quæ sunt absurda.

7. Etiam imaginatio, & sensus externi, si possunt errare, conciperent impossibile, & facerent ens rationis, quod communiter non admittitur.

8. Impossibile deberet constitui impossibile per denominationem extrinsecã à diuina omnipotentia; ergo constitueretur impossibile per hoc, quod Deus non posset illud producere; ergo esset impossibile ex defectu diuinę potentię, cum S. Thomas, aliique communiter dicant Deum non posse facere impossibile, non ex defectu potentiæ, sed ex defectu ipsius impossibilis.

Respondeo, quod ex Aristotele 9. Metaph. tex. 6. impossibile describitur, quod priuatur potentia, seu non potest esse. Quia verò adhuc est explicandũ, quæ prædicata debeat habere id, quod non potest esse, dicendum ex eiusdem doctrina, quod illud potest esse, quod si ponatur, non sequitur contradictio;

è con-

è conuersò illud esse non potest, quod si ponatur, sequitur contradictio. Ex quo Aristoteles infert non idem esse falsum, ac impossibile. Nam Ilium non esse captum falsum quidem est, sed non est impossibile, quia si ponatur Ilium non esse captum, non sequitur contradictio: at diametrum quadrati commensurati lateri non solum est falsum, sed impossibile, quia si ponatur diametrum commensurari, sequitur contradictio. Conformiter ad hanc doctrinam Aristotelis S. Thomas 1.p. quæst. 25. art. 3. in corpore possibile absolutè describit quod non implicat contradictionem; impossibile, quod implicat contradictionem. De hoc impossibili verificatur definitio entis rationis tradita ab Auerroe 6. Met. com. 3. *quod habet esse solum obiectiuè in intellectu*. Quod enim est possibile, potest habere esse à parte rei in se ipso, vel in potentia causæ; ergo non necessariò habet esse solum obiectiuè in intellectu. At quod implicat, cum non possit esse neque in se ipso, neque in potentia vllius causę, necessariò est solum obiectiuè in intellectu, adeoque est ens rationis metaphysicum.

Quæritur vtrum intellectus præter possibilia possit etiam concipere quidquam impossibile. Dicendum, quod

potest. Probatur primo, quia omne id potest attingi à potentia, in quod potest diuidi obiectum adæquatum proportionaliter respondens tali potentiæ; e. g. omne id potest attingi à potentia visiua, in quod potest diuidi visibile, quod est obiectum adæquatum proportionaliter respondens potentiæ visiuæ; & quia visibile diuiditur in album, nigrum,&c. ideò potentia visiua non solum potest attingere album, sed etiam nigrum,&c, sonum verò non potest attingere, quia visibile non potest diuidi in colorem, & sonum; sed obiectum adęquatum proportionaliter respondens intellectui est intelligibile, sicut obiectum visus est visibile, obiectum auditus est audibile; ergo omne id, in quod potest diuidi intelligibile, est attingibile ab intellectu; sed intelligibile, diuiditur in id, quod est, in id, quod non est, in id, quod potest esse, & in id, quod non potest esse; ergo intellectus potest attingere non solum quod est, sed etiam quod non est, non solum quod potest esse, sed etiam quod non potest esse, quod est impossibile.

Confirmatur, quia potentia, quæ potest diuidere suum obiectum adęquatum in aliqua membra, singula describendo, & distinguendo, proculdubio potest attin-

tingere omnia illa membra; sed intellectus potest diuidere, & de facto diuidit intelligibile in hęc quatuor membra; *quod est; quod non est; quod potest esse; quod non potest esse*; ac singula describit, ac distinguit; ergo attingit hæc omnia mēbra; nec solum attingit, sed circa hęc, tanquam circa prima, & notissima versatur totus discursus, dum de intelligibili quarit, ac iudicat, vtrum sit, vel non sit; vtrum possit esse, vel non possit esse, adeoque sit impossibile; vtrum possit non esse, vel non possit non esse, adeoque sit necessarium. Ita primum, & euidentissimum verum est circa impossibile, dum enuntiat *impossibile est idem simul esse & non esse*; seu simultas qua aliquid simul sit, & non sit est impossibilis; ergo qui negat concipi impossibile, negat concipi vnum ex quatuor, circa quæ, tanquam circa prima versatur intellectus.

Confirmatur, quia ideo est per se notum, quod intellectus non solum concipit quod est, sed etiam quod non est, quia potest diuidere suum obiectum in id, quod est, & in id, quod non est; & ex eadem ratione est per se notum, quod non solum concipit creatum, sed etiam increatum; non solum concipit quod est, sed etiam quod potest esse;

sed

ſed intellectus diuidit inteligibile in id, quod poteſt eſſe, & in id, quod non poteſt eſſe; ergo non ſolum concipit quod poteſt eſſe, ſed etiam quod non poteſt eſſe. Ex his rationibus patet inſtantiam de incognoſcibili oppoſitam in primo argumento non valere. Nam proculdubio intelligibile diuidi non poteſt in cognoſcibile, & incognoſcibile, ſicut viſibile non poteſt diuidi in viſibile, & inuiſibile, nec intellectus poteſt facere illam diuiſionem, cum ſemper ſupponat, quod id, quod diuiditur, & omnia membra diuidentia ſunt cognoſcibilia.

Secundo probatur conclusio, quia inconuenienter propter difficultates in contrarium negatur id, quod tanquam per ſe notum ſupponitur in omni quęſtione, & inquiſitione; ſed in quæſtionibus, & inquiſitionibus, in quibus quæritur, vtrum aliquid ſit, vel non ſit, ſupponitur tanquam per ſe notum, quod cognoscatur id, de quo quæritur, ſeu ſit, ſeu non ſit; in quæſtionibus, in quibus quæritur, vtrum aliquid poſsit eſſe, vel non poſsit eſſe, ſupponitur, quod cognoſcatur, ſiue poſsit eſſe, ſiue non poſsit eſſe; ergo inconuenienter propter difficultates in contrarium negatur, quod concipiatur impoſsibile,

seu id, quod non potest esse. Explicatur. Cum enim Atheus, & Fidelis disputant, vtrum Deus sit, vel non sit, conueniunt in hoc, quod Deum cognoscunt, siue existat, siue non existat, adeoque sit impossibilis; cum disputamus, vtrum possit dari infinitum in numero &c, conuenimus in hoc, quod cognoscimus tale infinitum; ergo qui negat, vel vertit in dubium, an hæc concipiantur, negat, ac vertit in dubium aliquid, quod tanquam per se notum supponitur à disputantibus, & inquirentibus; ergo hęc positio, quod nō cōcipitur impossibile distinctum à possibilibus, est similis positioni Zenonis, quod non detur motus: vtraque enim negat aliquid, quod supponitur vt per se notum. Sicut enim est notum per sensum, quod datur motus, sic per experientiam est notum, quod cum disputamus de infinito, seu sit possibile, seu non, non concipimus solum finitum. Et sanè si dum aliquis dicit dari infinitas partes in continuo, aduersarius opponat, non solum non dantur infinitę partes, nec possunt dari, sed tu non cognoscis partes infinitas, sed solum finitas, nec disputas de infinitis, sed solum de finitis, hæc propositio videbitur intolerabilis, sicut positio Zenonis, quod non detur motus.

Con-

Confirmatur, quia videtur absurdũ, quod disputans, aut dubitans, vtrum infinita multitudo sit possibilis, vel non, disputet, ac dubitet, vtrum ipse cognoscat, & disputet, ac dubitet de infinito, vel solum de finito; hoc sequitur ex aduersariorum sententia; nam si infinitum est impossibile, cognoscitur solum finitum; & si concludatur, quod infinitum est impossibile, concluditur, quod disputatum est non de infinito, sed de solo finito cognito modo indebito, per quem denominatur infinitum; ergo &c.

Propter hęc Aristoteles, & antiqui scholastici supponunt semper vt per se notum, quod intellectus, sicut non intelligit solum quod est, sed etiam, quod non est, sic non solum intelligit, quod potest esse, sed etiam quod non potest esse, ideoque nec in dubium id vertunt. Patet, nam Aristoteles locis allegatis definit impossibile, quod priuatur potentia; dicit possibile esse, ex quo non sequitur impossibile; addit non idem esse falsum, & impossibile; licet putet repugnare plures mundos, non reuocat in dubium vtrum cognoscamus plures mundos. Sanctus Thomas definit tum possibile, tum impossibile, & de vtroque loquitur eodem pacto. In quarto argumento artic. cit. dicit, quod *subla-*

to impossibili, tollitur necessarium. Nam quod necesse est esse, impossibile est non esse. Et licet hęc dicat obiiciendo approbat respondendo, & concludit quod *omnipotentia Dei impossibilitatem, & necessitatem à rebus non tollit*; ergo Sanctus Thomas supponit, quod non potest cognosci necessarium, si non cognoscitur impossibile. Licet autem in fine corporis explicet dictum Angeli *nõ erit impossibile apud Deum omne verbum*, dicens, *id quod contradictionem implicat verbum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere*, tamen est manifestum, quod loquitur de conceptione affirmatiua, qua aliquis dicat duo contradictoria esse vera, vt videre est in disputatis, quęst. 1. de potentia ad 1., vbi fusius explicans dictum Angeli dicit, quod ex Aristotele 4 metaph. intellectus non potest concipere affirmationem, & negationem esse simul veras, quia haberet simul opiniones contrarias.

Ad 1. Non eodem pacto se habet intellectus, cum dicit *impossibile*, ac cum dicit *incognoscibile*. Cum enim dicit *impossibile*, supponit tale obiectum esse non posse: cum verò dicit *incognoscibile*, non potest supponere tale obiectum cognosci non posse, sed necessario supponit tale obiectum de facto aliqualiter cogno-

gnoſci, adeoque poſſe cognoſci. Cum ergo neceſſario ſupponat obiectum poſſe aliqualiter cognoſci, dum dicit *incognoſcibile*, ſenſus eſt, *id, quod licet poſſit aliqualiter cognoſci, non poteſt cognoſci perfectè & ſub omni ratione*, vel *id, quod licet ſit aliqualiter cognoſcibile, ſi daretur à parte rei, non eſſet ullo pacto cognoſcibile, & ideo non poteſt dari*; vel facit alium ſimilem ſenſum; ergo cum intellectus quando dicit *incognoſcibile*, ſemper ſupponat illud eſſe cognoſcibile aliqualiter, non cognoſcit incognoſcibile omninò, ſed aliqualiter cognoſcibile: at cum quando dicit, *quod non eſt; quod nō poteſt eſſe; quod eſt infinitum &c*, ſupponat obiectum non eſſe, vel non poſſe eſſe, vel eſſe infinitum, non cognoſcit ſolum quod eſt, quod poteſt eſſe, & quod eſt finitum, ſed quod non eſt, non poteſt eſſe, & eſt infinitum, adeoque argumentum retorquetur.

Ad 2. Concedo, quod de impoſſibili verificetur, quod ſi poneretur, darentur contradictoria. Et ſanè Ariſtoteles, & omnes antiqui videntur hoc conceſſiſſe, dum ſemper definiuerunt impoſſibile, *id ex cuius poſitione ſequerentur contradictoria*. Dum opponitur iſtę propoſitiones, *hircoceruus ſi daretur, eſſet hircus; ſi daretur non eſſet hircus*, ſunt contra-

dictoriæ; ſed propoſitiones contradicto-
rię non poſſunt eſſe ſimul veræ; ergo
&c. diſtinguo minorem; propoſitiones
contradictoriæ non poſſunt eſſe ſimul
veræ ex ſuppoſitione, quod daretur cō-
tradictio, nego; ſimpliciter, & non fa-
cta tali ſuppoſitione, concedo. Dum
dicitur, *ſi daretur hircoceruus, eſſet hircus, & non eſſet hircus*, affirmantur contra-
dictoria ex ſuppoſitione, quod daretur
hircoceruus includens talia contradi-
ctoria; ergo non eſt mirum, quod iſtę
propoſitiones ſint ſimul verę, imò mirū
eſſet oppoſitum. Quis enim miretur eſ-
ſe veram iſtam propoſitionem; *ſi hirco-
ceruus eſſet hircus, & non eſſet hircus; eſſet
hircus, & non eſſet hircus?* imò quis non
miretur audiens talem propoſitionem
non eſſe veram, ſed falſam? Dum vrge-
tur; qui ſibi contradicit non dicit verū;
ergo &c. Reſpondeo eodem pacto, qui
ſibi contradicit ex ſuppoſitione, quod
detur contradictio, non dicit verum,
nego; non facta tali ſuppoſitione, con-
cedo. Cum quis dicit, *ſi daretur hirco-
ceruus, eſſet hircus, & non eſſet hircus*;
ſibi contradicit ex ſuppoſitione quod
daretur hircoceruus includens contra-
dictionem; qui verò ſibi contradicit ex
ſuppoſitione, quod detur contradictio
dicit verum.

Eo-

Eodem pacto respondetur ad primã, & secundam confirmationem; idem est, quod vna propositio contradictoria sit vera, ac quod alia sit falsa, ex suppositione, quod sint simul verę, nego; simpliciter, & non facta tali suppositione, concedo. Ex suppositione, quod hircoceruus esset hircus, & non esset hircus, non est idem esse verum, quod esset hircus, ac esse falsum, quod non esset hircus, licet simpliciter; & non facta tali suppositione sit idem. Similiter contradictoria se mutuo falsificant simpliciter; at facta suppositione, quod sint simul vera, non se mutuo falsificant, sed sunt simul vera. Ideò qui affirmat contradictoria ex suppositione, quod sint simul vera non facit propositiones se mutuo falsificantes. In casu nostro, qui dicit, *si hircoceruus daretur esset hircus, & non esset hircus*; facit suppositionem, quod darentur contradictoria, nec se mutuo falsificarent; ideò dum ex tali suppositione dicit, quod esset hircus, & non esset hircus, non facit propositiones se mutuo falsificantes, ac proinde dicit verum. Et confirmantur istę responsiones, quia si ad veritatem eruendam sicut facit Socrates apud Platonem interrogemus quemcumque; *si Petrus esset, non ne per hoc ipsum, quod esset, fal*-

sificaretur, quod non esset? respondebit affirmatiuè. At si quæramus iterum; *si Petrus per impossibile simul esset, & non esset, per hoc, quod esset, falsificaretur ne quod non esset?* reponderet negatiuè.

Ad 3. Concedo cum Sancto Thoma, loco citato, quod omne impossibile formaliter includit duo contradictoria; adeoque non est simplex, sed compositum, intelligendo nomine compositi, quod si esset, includeret duo contradictoria per identitatem, vel alio modo; e. g. hircoceruus, si esset, esset hircus, & non esset hircus. Si verò dum quæritur, vtrum possit concipi impossibile simplex, quæratur, vtrum possit concipi impossibile contradistinctum à possibilibus, concedo, quod in hoc sensu potest concipi. Identitas enim hirci cum ceruo non est de facto idem cum hirco, neque cum ceruo. Sicut enim hircus, & ceruus vtpotè possibiles non sunt hircoceruus, vel eius identitas impossibilis; ita hircoceruus, & eius identitas impossibilis non sunt hircus, neque ceruus possibilis; ergo sunt impossibilia distincta à possibilibus, sed talia, vt si ponerentur, essent idem cum hirco possibili, & non essent idem cum hirco possibili, ideoque poni non possunt, sed implicant. Aduertendum est igitur

ne

ne confundantur propositiones absolutæ cum conditionatis. Nam hircoceruus absolutè non est idem cum hirco, neque cum ceruo, vt dictum est; at esset idem cum hirco & ceruo, si poneretur, ideoque poni non potest. Similiter de hircoceruo non verificantur vlla contradictoria absoluta, sed verificatur vnica pars contradictionis, quod non est, nec potest esse; non est hircus, neque ceruus &c; at de eodem verificantur plura contradictoria conditionata.

Ad 4. Concedo, quod concipiatur identitas hominis cum equo, negatio Dei, quarta persona diuina &c. Dum quæritur, vtrum identitas hominis cum equo ponat aliquid supra hominem, & equum, respondeo, quod absolutè cum sit impossibilis, ponit aliquid, quod non potest esse, adeoque non est idem cum homine, & equo, qui possunt esse; sed dico, quod si daretur, esset idem cum homine, & equo, & non esset idem cum homine & equo, ideoque nõ potest dari. Dum vrgetur; ergo non est identitas hominis cum equo; distinguo, non est identitas realis, concedo; non est identitas impossibilis, & implicans, quę si daretur, esset idem cum vtroque, & ab vtroque distingueretur, & propter hoc ipsum dari non potest, nego. Similiter

concipio negationem Dei, quæ si daretur tolleret ens, quod nunc est necessarium, sed tunc non esset necessarium; concipitur quarta persona diuina, quæ de facto nõ est Deus, imo nec est, nec potest esse, sed si poneretur esset idẽ Deus cũ tribus personis, & ideò poni non potest.

Ad 5. Concedo, quod sicut non ens cognoscitur per species entis; possibile cognoscitur per species existentis; sic impossibile cognoscitur per species entis possibilis, & realis; nego autem, quod species entis realis non possint repræsentare nisi simile. Nam per species entis possumus statim concipere contradictoriè oppositum, hoc est non ens; ergo etiam per species possibilis possumus concipere contradictoriè oppositũ, hoc est non possibile. Imò ex hoc ipso confirmatur conclusio. Sicut enim intellectus per visibilia creaturarum cognoscit inuisibilia Dei; per ens cognoscit non ens; sic per possibile cognoscit impossibile. Ad confirmationem dico, quod sicut intellectus, qui est ens existens, cognoscit etiam ens non existens, sic licet sit ens reale, cognoscit etiam ens impossibile, & non reale, sed secundario, & per ens reale, tanquam per obiectum formale.

Ad 6. Concedo, quod Deus cogno-

scit

scit impossibile exem. gr. alterum Deum. De facto enim reuelauit, *ego sum Deus, & non est alius Deus præter me*; sed non potuisset reuelare, quod non datur alter Deus, nisi cognosceret alterum Deum cognitione negatiua ipsius; ergo &c. Concedo etiam, quod Deus tot impossibilia cognoscit, quot ab intellectu fieri possunt combinationes prædicatorum incompossibiliũ: & quia possunt fieri tales combinationes plures, & plures sine termino, ideò cognoscit impossibilia plura, & plura sine termino. Concedo etiam, quod videat, quid vnumquodque esset facturum, etiam liberè, si per impossibile identificaretur cum hoc, vel illo ente, e. g. quid ego essem facturns, si essem Angelus Michael; videt enim, quod essem facturus illud ipsum, quod est facturus Angelus Michael; & videt quod Angelus Michael esset facturus ex illa suppositione quod ego sum facturus; & quia sæpe essemus facturi contraria, videt quod in illa suppositione impossibili in multis casibus essemus facturi contraria simul, & propter hoc ipsum talis suppositio poni non potest. Non tamen ex eo, quod Deus cognoscat impossibile, sequitur quod faciat ens rationis, & fingat. Nam facere ens rationis, & fingere

non eſt ſolum cognoſcere impoſsibile vt impoſsibile, illud negando, ac dicendo, quod nec eſt, nec poteſt eſſe. Hoc enim non eſt fingere, ſed verum dicere. Facere igitur ens rationis, ac fingere eſt concipere iudicatiuè, vel apprehenſiuè tanquam exiſtens, quod non poteſt exiſtere In hoc ſenſu Deus, dum dicit, quod non eſt alter Deus, non facit ens rationis, nec fingit, quia concipit vt non exiſtens, nec potens exiſtere, quod verè nec exiſtit, nec poteſt exiſtere. At Gentilis dicens, *datur alter Deus* facit ens rationis, quia iudicat exiſtere, quod non poteſt exiſtere. Nos etiam, dum dicimus, *alter Deus non eſt*, facimus ens rationis, quia apprehendimus alterum Deum, qui non eſt ens, ad modum entis. Hinc verò colligitur, quod ſi Angeli poſſunt errare in propoſitionibus ęternæ veritatis, poſſunt facere ens rationis; e. g. ſi Angelus poteſt putare Deum non eſſe trinum in perſonis, poteſt facere ens rationis, fingendo Deum non trinum.

Ad 7. Imaginatio non poteſt facere ens rationis, nec concipere impoſsibile. Ratio eſt, quia imaginatio ſolum poteſt combinare figuras externas, vt cū imaginatur monſtrum habens caput leonis, caudam draconis &c; ſed hęc extrinſe-

trinſeca combinatio eſt poſſibilis, & ſolum eſt impoſſibilis identitas leonis cum dracone, quam identitatem imaginatio non concipit, vt potè quę ſiſtit in externis accidentibus, nec penetrat eſſentias, & identitates rerum; ergo &c. Ex proportionali ratione ſenſus, etiam ſi poſſint errare, videndo e. g. in Iride colores, qui non ſunt, adhuc non concipiunt impoſſibile, quia tales colores ſunt poſſibiles.

Ad 8. Quod eſt impoſſibile neceſſariò eſt impoſſibile; ſed vt aliquid neceſſario ſit impoſſibile, impoſſibilitas ipſius debet dari neceſſariò, eo pacto, quo vt aliquid neceſſariò ſit poſſibile, poſſibilitas illius debet dari neceſſariò; ergo impoſſibilitas impoſſibilium neceſſariò datur; imò propter hoc ipſum impoſſibile non poteſt eſſe, quia eius impoſſibilitas non poteſt non eſſe; ſed omne neceſſarium eſt Deus, vt dictum eſt quęſt. 47; ergo Deus eſt prima, & neceſſaria impoſſibilitas omnium impoſſibilium; ergo omnia impoſſibilia ſunt neceſſariò impoſſibilia per denominationem extrinſecam à Deo, & etiam per intrinſecam implicantiam, non quæ detur abſolutè, cum impoſſibile non habeat abſolutè vllum prædicatum intrinſecum, ſed quę daretur, ſi poneretur impoſſibile. Hęc tamen

men ipsa veritas necessaria, *si daretur impossibile, implicaret contradictionem* est idem cum Deo. Impossibile igitur est nihil, non solum actu, sed etiam potentia, cum non solum non sit, sed neque possit esse. Verificatiuum tamen huius propositionis est impossibilitas necessariò existens, & identificata cum Deo. Dum opponitur; ergo impossibile non potest esse per defectum potentię; nego consequentiam. Sicut enim quædam exprimuntur nomine potentię, & tamen sunt impotentiæ, e.g. posse mori est quædam impotentia, licet exprimatur nomine potentiæ; sic è conuersò quædam exprimuntur nomine impotentiæ, quę sunt potentię. In casu nostro, *Deum non posse facere quod implicat*, exprimitur nomine impotentiæ, & tamen est potentia, quia est non posse facere aliquid repugnans suę operationi; ergo optimè dicit Sanctus Thomas, quod Deus non potest facere impossibile, non ex defectu, sed ex abundantia potentiæ, sicut non potest peccare, vel mori, non ex defectu, sed ex abundantia potentiæ. *D*um dicitur, quod impossibile repugnet est defectus ipsius impossibilis, sensus est, quod non posse esse est maximus defectus ipsius impossibilis, quod caret omni esse, & etiam omni potentia essendi. Habet

bet etiam impossibile hunc defectum conditionatum intrinsecum, quod si poneretur, intrinsecè implicaret.

Vtrum negationes, & priuationes dentur à parte rei, & sint aliquid diminutum. Quæstio XLIX.

VIdetur primo, quod non dentur quia in tantum deberent dari, in quantum requirerentur ad verificandas propositiones negatiuas, quibus e. g. dicitur *alter mundus non est*; sed ad verificandam istam propositionem sufficit, vt non sit alter mundus, nec requiritur alia negatio; ergo &c.

2. Videtur, quod si dantur negationes, sint entia purè abusiua. Deberent enim dari ab æterno; sicut enim ab æterno non fuit mundus, sic ab ęterno fuit negatio mundi; sed ab ęterno nullum fuit ens positiuum distinctum à Deo; ergo negationes æternæ sunt entia merê abusiuè.

3. Si dicatur, quod negationes ęter-

næ

nę consistebant in decretis Dei, quibus nolebat mundum, vel vllam creaturam esse; contra est primo, quia causa distinguitur ab effectu; sed decretum Dei erat causa, quod mundus non esset; ergo non esse mundi distinguebatur à tali decreto. Secundo obiectum volitum distinguitur à decreto volente; sed Deus per suum decretum volebat, vt mundus non esset; ergo non esse mundi distinguebatur à decreto. Tertio negatio rei aufertur, posita re; sed decretum, quo Deus nolebat mundum ab æterno, non fuit ablatum, posito mundo; ergo non erat negatio mundi; ergo talis negatio erat ens abusiuum, quod fuit ablatum posito mundo. Quarto, si nunc Deus destrueret mundum, mundus mutaretur intrinsecè, transeundo ab esse ad non esse; sed non mutaretur intrinsecè per solum decretum extrinsecum Dei; ergo &c. Quinto demum ipsa decreta Dei debent compleri per aliquid æternum extrinsecum *Deo*; hoc non potest esse positiuum, quia nullum positiuum distinctum à *Deo* est ęternum; ergo debet esse aliquid purè negatiuum, & abusiuum.

4. Priuationes sunt intrinsecæ suis subiectis, e. g. cœcitas est intrinseca cœco; ergo non posſunt consistere in de-

creto extrinseco Dei; sed non consistũt in vllo positiuo subiectis intrinseco, cum non sit assignabile; ergo consistunt in aliquo purè abusiuo.

5. Potentia libera potest peccare, vel purè omittere; sed malitia formalis peccati, & pura omissio consistunt in priuatione, & non in aliquo positiuo; ergo, &c.

Respondeo quod aliqui dicunt negationes nullo pacto dari; alii concedunt dari, sed esse entia abusiua non identificata cum vllo ente positiuo; alii asserunt dari, & identificari cum aliquo positiuo. Hanc vltimam sententiam ego sequor. Pro cuius explicatione primo ostendendum est dari negationes actiuas; secundo non consistere in entitatibus abusiuis; tertio demum exponendum, in quo positiuo consistant.

Dico igitur primo; licet non dentur negationes passiuę sumptæ pro eo, quod negatur, & tollitur, dantur negationes actiuę, vel quasi actiuæ sumptę pro eo, quod negat, & tollit.

Probatur, & explicatur. Cum enim dico, *alter Mundus non est*, alter Mundus est obiectum negatum, ideoque potest vocari negatio passiua; est autem manifestum, quod alter Mundus non est, & non datur; ergo est manifestum, quod

nega-

negationes passiuę non dantur, & quo ad hoc non potest esse controuersia de re. Sed quæritur, verum detur ipsum non esse alterius Mundi, quod potest vocari negatio actiua, quia comparatur ad alterum Mundum, sicut negans & tollens ad negatum, & ablatū. Dico quod datur.

Probatur primo, quia quidquid habet à parte rei aliquam denominationem, habet ab aliquo, quod datur; e. g. quia alter Mundus habet denominationem possibilis, habet à possibilitate, quæ datur; quia alter Deus habet denominationem impossibilis, habet ab impossibilitate, quę datur; sed alter Mundus habet denominationem non existentis; ergo habet à non existentia, seu negatione, quę datur.

Secundo omnis cognitio, quæ ita est vera, vt possit non esse vera, est vera per verificatiuum distinctum; sed cognitio dicens, *non datur alius Mundus* ita est vera, vt possit non esse vera; ergo est vera per verificatiuum distinctum; hoc verificatiuum est ipsum non dari alterius Mundi; ergo datur ipsum non dari alterius mundi.

Tertio, quod est verum à parte rei est verum veritate, quæ datur à parte rei; sed est verum à parte rei, quod non datur alius Mundus; ergo à parte rei datur

tur hęc veritas; sed talis veritas est ipsum non esse alterius Mundi; ergo datur à parte rei ipsum non esse alterius Mundi.

Quarto negatio obiectiua, & realis proportionari debet negationi intentionali; sed negatio intentionalis, qua dico *alter Mundus non est*, ita negat aliū Mundum, vt non neget, sed ponat, & affirmet se ipsam: qui enim negat alium Mundum, non negat, sed affirmat se negare; ergo negatio obiectiua tollens alterum Mundum ita illum negat, vt non neget, sed ponat se ipsam, quæ est ipsum non esse alterius Mundi.

Dico secundo; negationes actinæ non sunt entia abusiua contradistincta ab entibus positiuis, exceptis fortasse iis negationibus, quæ sunt exercitium formale libertatis creatæ, vel increatę.

Probatur primo, quia vel istæ negationes abusiuę ponunt aliquam perfectionem, & conducunt ad pulchritudinem vniuersi, vel non; si ponunt aliquā perfectionem, iam sunt participationes diuinæ bonitatis adeoque sunt entia, quia solum ens est bonum, ac participatio diuinæ perfectionis; si nullam ponunt perfectionem; ergo dantur frustra, & sunt omninò superfluę. Quid enim magis

gis superfluum, quam quod nullam perfectionem, & pulchritudinem ponit in vniuerso.

Secundo probatur quia negationes impossibilium dantur necessario; e. g. necessario datur negatio alterius Dei; sed nihil positiuum, & abusiuum contradistinctum à Deo necessario datur, vt dictum est quæst. 47.; ergo negationes necessariȩ rerum impossibilium non sunt quidquam distinctum à Deo, sed identificantur cum Deo, qui est vnica necessitas omnis necessarii; possibilitas omnis possibilis; impossibilitas, atque exclusio necessaria omnis impossibilis.

Tertio probatur, quia si darentur negationes abusiuæ contingentium, Deus haberet necessitatem ponendi extra se aliquid abusiuum; eo enim ipso, quod non ponit aliquod ens, ponit eius negationem; sed habet necessitatem non ponendi omnia entia, cum multa sint inuicem incompossibilia; ergo habet necessitatem ponendi multas negationes abusiuas; sed talis necessitas repugnat Deo, ergo &c. Probatur subsumptum primo, quia Deus est ens sufficientissimum; sed sufficit vt sit ens sufficientissimum; ergo sufficit vt sit Deus; sed tum aliquid sufficit, cum non necessè est aliud esse prȩter illud; ergo nō necessè est aliud esse,

prȩ-

præter Deum; ergo non necesse est dari negationes abusiuas. Secundo Deus videns se continere omnem perfectionẽ, potest dicere, *sufficit mihi mea infinita perfectio; nolo vt sit quidquam imperfectum, ac defectuosum*; sed non posset hoc dicere, si necessitaretur ad ponendas negationes distinctas à se; ergo &c. Tertio Deus est primus fons, ex quo ita effluit omne ens, vt possit liberè claudere talẽ fontem, faciendo ne quidquid effluat; sed ex opposita sententia sequitur, quod Deus ita hoc non possit; nã eo ipso, quod velit nihil producere, effluunt infinitæ negationes abusiuæ; ergo &c. Quarto necessitas ponendi aliquem Mundum repugnat Deo; ergo multo magis repugnat necessitas ponendi negationes abusiuas. Probatur consequentia; quo aliquid est imperfectius, adeoque minorem habet vim alliciendi summam bonitatem ad positionem sui, eo magis repugnat, vt summa bonitas necessiterur ad illud ponendum; e. g. si Deus non necessitatur ad ponendum Angelum valdè perfectũ, multo minus necessitatur ad ponendum Asinum; sed negationes abusiuę sunt multo imperfectiores Mundo; ergo multo magis repugnat, quod Deus necessitetur ad ponendas negationes, quam ad ponendum Mundum. Confirmatur quia

quia Aristoteles dicens primam causam necessario posuisse Mundum, posset arguere; vos non putatis inconueniens, quod prima causa necessitetur ad ponẽdas ab ęterno infinitas negationes abusiuas; ergo multo minus debetis putare inconueniens, quod necessitetur ad ponendum aliquem Mundum. Confirmatur, quia in hac materia valet à fortiori argumentum illus Manichei relati à S. Augustino, qui ex eo, quod Catholicus concesserit muscam non esse conditam à Deo, intulit, nec hominem, nec Mundum esse conditum à Deo. Si enim Deus necessitatur ad ponendas vilissimas negationes, cur non ad ponendum Mundum?

Excepi tamen exercitium formale libertatis createę, vt abstraherem à quæstionibus vtrum possit dari pura omissio libera, & vtrum malitia peccati consistat in pura priuatione. De his enim non valent argumenta facta. Libertas enim creata, vtpotè defectibilis potest peccando facere malum, & omittendo facere non bonum, & omnino superfluum, nec ex hoc sequitur, quod Deus sit sibi insufficiens. Excepi etiam exertium libertatis increatæ, vt præscinderem à quæstione de complemento diuinorum decretorum, de qua nihil est

hoc

hoc loco statuendum.

Dico tertio; negationes æternæ, & necessariæ impossibilium identificantur cum diuina essentia; negationes contingentium æternæ, sed non necessariæ identificantur cum decretis diuinis exclusiuis ipsorum contingentium.

Probatur, & explicatur prima pars; nam Diuina essentia est prima, æterna, & necessaria necessitas, vt non detur alter Deus, & omnes chymeræ; sed prima, & necessaria necessitas, vt non detur alter Deus, & omnes chymeræ est ipsum non esse alterius Dei, & chymerarum; ergo &c. Minor probatur: nam non esse alterius Dei, & chymerarum est ipsa formalis exclusio alterius Dei, & chymerarum, & est formale verificatiuum propositionis dicentis, *non datur alter Deus, nec vlla chymera*; sed necessitas, vt non detur alter Deus, nec vlla chymera per se ipsam excludit alterum Deum, & chymeras, ac verificat propositionem negatiuam; ergo &c. Nec opponas; ergo Deus est negatio, quod videtur absurdum; distinguo enim; ergo Deus est negatio actiua chymerarum ponens infinitam perfectionem, & entitatem ipsius Dei, concedo. Deus est non esse chymeræ; sed est infinitum esse ipsius Dei; est nihil chymeræ, sed est

infi-

quia Aristoteles dicens primam causam necessario posuisse Mundum, posset arguere; vos non putatis inconueniens, quod prima causa necessitetur ad ponédas ab ęterno infinitas negationes abusiuas; ergo multo minus debetis putare inconueniens, quod necessitetur ad ponendum aliquem Mundum. Confirmatur, quia in hac materia valet à fortiori argumentum illus Manichei relati à S. Augustino, qui ex eo, quod Catholicus concesserit muscam non esse conditam à Deo, intulit, nec hominem, nec Mundum esse conditum à Deo. Si enim Deus necessitatur ad ponendas vilissimas negationes, cur non ad ponendum Mundum?

Excepi tamen exercitium formale libertatis createę, vt abstraherem à quæstionibus vtrum possit dari pura omissio libera, & vtrum malitia peccati consistat in pura priuatione. De his enim non valent argumenta facta. Libertas enim creata, vtpotè defectibilis potest peccando facere malum, & omittendo facere non bonum, & omnino superfluum, nec ex hoc sequitur, quod Deus sit sibi insufficiens. Excepi etiam exertium libertatis increatæ, vt præscinderem à quæstione de complemento diuinorum decretorum, de qua nihil est

hoc

hoc loco statuendum.

Dico tertio; negationes æternæ, & necessarię impossibilium identificantur cum diuina essentia; negationes contingentium æternæ, sed non necessariæ idẽtificantur cum decretis diuinis exclusiuis ipsorum contingentium.

Probatur, & explicatur prima pars; nam Diuina essentia est prima, ęterna, & necessaria necessitas, vt non detur alter Deus, & omnes chymeræ; sed prima, & necessaria necessitas, vt non detur alter Deus, & omnes chymeræ est ipsum non esse alterius Dei, & chymerarum; ergo &c. Minor probatur: nam non esse alterius Dei, & chymerarum est ipsa formalis exclusio alterius Dei, & chymerarum, & est formale verificatiuum propositionis dicentis, *non datur alter Deus, nec vlla chymera*; sed necessitas, vt non detur alter Deus, nec vlla chymera per se ipsam excludit alterum Deum, & chymeras, ac verificat propositionem negatiuam; ergo &c. Nec opponas; ergo Deus est negatio, quod videtur absurdum; distinguo enim; ergo Deus est negatio actiua chymerarum ponens infinitam perfectionem, & entitatem ipsius Dei, concedo. Deus est non esse chymeræ; sed est infinitum esse ipsius Dei; est nihil chymerę, sed est

infi-

infinitum ens simpliciter. Sicut verò Deus est vnica simplex entitas, in qua possunt per intellectum distingui varia predicata positiua sapientis, potentis &c; sic est vnica entitas, in qua possunt distingui prædicata positiua, & negatiua.

Probatur iam, & explicatur secunda pars conclusionis; nam negatio ęterna Mundi nihil est aliud, quam exclusiuum Mundi verificans ab ęterno, quod Mundus non est; sed exclusiuum æternum Mundi nihil est aliud, quam id, quod formaliter impedit, ne Mundus effluat ex Deo, tanquam ex fonte, hoc autē est decretum, quo Deus dicit, *nolo Mūdum, vel quidquam aliud extra me, vsque ad certum tempus*; tale enim decretum claudit fontem, & impedit ne Muudus effluat ex Diuina omnipotentia; ergo tale decretum est ipsa formalis negatio Mundi. Si verò dicatur, quod talę decretum est solum exclusio fundamentalis Mundi, contra est quia tale decretū est clausio fontis, ita vt nihil ex illo egrediatur ab æterno; sed ad hoc requiritur, vt non solum sit negatio fundamētalis, sed etiam formalis, alioquin egressum fuisset ab ęterno aliquid abusiuum; ergo &c.

Dico quarto: dantur negationes, & priuationes temporales subiectis intrinsecæ,

ſecæ, quæ identificantur cum aliquo poſitiuo diſtincto à diuinis decretis.

Probatur primo de negationibus, quia Petrus exiſtens non eſt Paulus, neque equus, neque quodlibet aliud ens; ergo datur in Petro negatio, per quam non eſt Paulus, neque quodlibet aliud ens; hęc verò negatio non eſt ens abuſiuum, vt probatum eſt concluſione ſecunda, ſed eſt ipſa entitas Petri, quę in quantum ponit Petrum eſt ens poſitiuum, in quantum excludit identitatem cum Paulo, & cęteris entibus eſt negatio talis identitatis. Sicut igitur in Petro dantur plura prædicata poſitiua realiter identrficata, & ratione noſtra diſtincta, ſic dantur prædicata poſitiua, & negatiua realiter identificata, & ratione noſtra diſtincta.

Secundo probatur hoc ipſum de priuationibus. Petrus enim e. g. cum poſſet non eſse cœcus, de facto eſt cœcus ergo eſt cœcus non per ſe ipſum, ſed per aliquid diſtinctum à ſe; ſed talis priuatio non conſiſtit in decreto Dei purè extrinſeco, alioquin Petrns eſset formaliter cœcus per decretum Dei, quod eſt abſurdum; ergo eſt cœcus per aliquam priuationem diſtinctam à Petro, & ipſi intrinſecam; ſed talis priuatio nō eſt ens purè abuſiuum; ergo &c. Probatur

batur subsumptum, quia omne id, quod ponitur Deo volente, & approbante, & est conforme ideæ Diuinę, est ens reale; sed cœcitas Petri ponitur Deo volente, & approbante: Deus enim vult, & approbat, vt Petrus sit cœcus; ergo talis cœcitas est ens reale. Et per hoc patet disparitas cœcitatis à peccato, & pura omissione. Peccatum enim, & pura omissio non ponuntur, Deo volente, & approbaute, sed purè permittente. Confirmatur primo, quia summũ bonum non vult, nec approbat quidquã non bonum; sed vult, & approbat Petrũ esse cœcum; ergo quod Petrus sit cœcus est bonum; sed omne bonum est ens; ergo &c. Confirmatur secundo, quia si cœcitas nullum esset bonum, esset quid omninò superfluum; sed nullus artifex sapiens vult, & approbat, vt in opere suo sit quidquam omninò superfluum; ergo nec Deus id approbat; ergo quidquid datur in mundo, Deo volẽte, & approbante est, bonum, & ens; sed omnes priuationes, excepto peccato, & pura omissione, quando dantur, dantur Deo volente, & approbante; ergo omnes priuationes, excepto peccato, & pura omissione, sunt bonæ, & consistunt in aliquo positiuo. Sed difficultas est in explicando, quid positiuum sint tales priuationes.

Di-

Dico quinto; priuationes exclusiuę perfectionis indebitæ sunt veluti subsistentiæ quædam, ac termini positiui perfectionis debitę.

Probatur, & explicatur: cum naturæ creatæ sistunt in sua perfectione substantiali debita, & non progrediuntur ad vlteriorem perfectionem substantialem indebitam, eo ipso terminantur subsistentia substantiali positiua; e. g. si natura humana Christi sisteret in sua perfectione substantiali, & per vnionem hypostaticam non progrederetur ad perfectionem Verbi Diuinę, eo ipso terminaretur subsistentia, quæ non est pura negatio vnionis, vt putant multi Scotistæ, sed est terminus positiuus humanæ naturę. Anima etiam separata cum sistit in sua perfectione, & non progreditur ad perfectionem corporis, terminatur subsistentia positiua. Similiter cum quantitas e. g. palmaris sistit in sua extensione, & non progreditur ad hoc, vt per continuationem accipiat vlteriorem extensionem, terminatur puncto, linea, vel superficie positiua; & hæc omnia explicabuntur in physica quęst. 13. de subsistentia, & quęstione vltima de indiuisibilibus. Ergo promouendo istas sententias satis communiter receptas dicendum, quod cum entia sistunt in ali

qua perfectione, etiam accidentali, terminantur aliquo termino, & quasi subsistentia accidentali positiua; e. g. quod cũ aer noctu non progreditur ad perfectionem lucis, quam posset accipere à Sole, terminatur termino positiuo accidentali exclusiuo lucis, per quem terminum sistit, & quiescit in sua perfectione sine luce. Idem dic proportionaliter de aliis. Cõfirmatur, quia aduersarii superaddunt subiecto priuationes abusiuas intrinsecas; ergo tota discrepantia inter nos, & illos est, vtrum talis priuatio sit bona, adeoque ens, vel non bona, & non ens; sed si non est bona, est omninò superflua ergo tota discrepantia est, vtrum Deus, & natura terminet res entitatibus diminutis non bonis, & non conducentibus ad pulchritudinem vniuersi, an verò terminis positiuis cõducentibus ad pulchritudinem vniuersi; sed dignius est Deo, & natura hoc secundum; ergo &c Confirmatur, quia secundum principia plurium ex aduersariis vna priuatio tollit vnicum ens; sed entia ablata sunt infinita; ergo dantur simul infinitę priuationes, contra quas valent argumenta, quæ solent afferri contra infinitum. In nostra sententia vnicus terminus potest excludere multa, & etiam infinita.

Di-

Dico ſexto: priuationes perfectionis debitę, quæ reſpectu ſubiecti habent rationem mali, ſunt impedimenta poſitiua violenta, vel quaſi violenta boni debiti, quę habent rationem boni reſpectu agentis, & vniuerſi.

Probatur, & explicatur. Calor excludens ab aqua perfectionem debitam frigoris malus eſt aquę patienti, ſed bonus eſt igni agenti, ideoque poſitiuus. Proportionaliter cœcitas excludens ab animali perfectionem debitam viſionis mala eſt cœco illam patienti, ſed bona eſt agenti obcœcanti, & eius appetitui conformis Ad has priuationes reducuntur illę, quę habent rationem pœnæ, ideoque nocent ſubiecto, illudque deformant, & tamen ſunt bonæ vniuerſo, & conſonę iuſtititiæ vindicatiuæ. E. g. priuatio gratiæ, & beatitudinis peſsimę ſunt damnatis, illoſque reddunt turpes, abominabiles, ac miſeros, ſed bonæ ſunt vniuerſo & conſonę iuſtitiæ. Bonum enim eſt, & pulchrum, vt mali malè pereant, priuentur pulchritudine gratię, bono beatitudinis, & per has priuationes reddantur turpes, in æternum abomiuabiles, ac miſeri. Cęterũ quod hæ priuationes non conſiſtant formaliter in decretis extrinſecis Dei, probatur, quia ſequeretur, quod damnati

essent formaliter turpes, ac miseri per decretum extrinsecum Dei.

Ad 1. Concedo maiorem, & nego minorem quo ad secundam partem. Sicut enim ad verificandum, quod alter mundus sit possibilis, sufficit, quod alter mundus sit possibilis, sed alterum mundum esse possibilem est dari possibilitaté alterius mundi, sic ad verificandum, quod alter mundus non est, sufficit, quod non sit alter mundus, sed non esse alium mundum est dari negationem illius Ratio est, quia idem est alterum mundum non esse, ac verum esse, quod non est; sed cum aliquid est verum, est verum per hoc, quod detur eius veritas; ergo idem est alium mundum non esse, ac dari istam veritatem; hęc veritas est negatio; ergo. Hinc est, vt in propositione negatiua semper in obliquo affirmetur aliquid. Licet enim neget aliquid esse, affirmat verum esse quod non est. Sicut enim voluntas cum odit malum, amat aliquod bonum, sic intellectus cum aliquid negat, affirmat aliquod verum, saltem quod negatum non est.

Ad 2. Patet ex dictis negationes æternas identificari cum diuinis decretis.

Ad 3. In quo ponuntur quinque argumenta ad probandum, quod negationes non identificantur cum diuinis decretis,

cretis, respondeo soluendo talia argumenta. Ad primum distinguo maiorē; causa formalis distinguitur ab effectu formali, nego; causa efficiens, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Causa formalis non distinguitur ab effectu formali sumpto pro denominatione, quam tribuit, vt dicetur quæst. 15. phys. prope finem; sed decretum, quo *D*eus noluit mundum ab ęterno, fuit causa, vel quasi causa formalis huius effectus, qui est, mundum non fuisse ab ęterno; ergo non distinguitur ab hoc, quod est, mundum non fuisse ab æterno; sed decretum, quo Deus non vult quidquā efficere ab ęterno, sed vult esse solus, non est causa efficiens vllius effectus: alioquin *D*eus nolendo quidquam efficere ab ęterno, efficeret aliquid saltem abusiuum ab ęterno, quod est absurdum; ergo &c. Ad secundum distinguo maiorem; obiectum volitum indirectè, & reflexè distinguitur à decreto, nego; obiectum volitum directè, concedo; & distinguo minorē; *D*eus noluit mundum existere indirectè, & reflexè, concedo minorem; directè, nego minorem; & nego consequentiam. Sicut omnes actus intellectus certificant de sua existentia, ideoque sunt affirmatio indirecta, ac reflexa sui, vt dictum

 est

eſt queſt. 12. ad 6, ſic omnes actus volũtatis volunt ſe ipſos indirectè, & ſic ſunt volitio reflexa sui ipſius. Actus ergo, quo Deus nolebat mundum exiſtere, reflexè volebat nolle vt mundus exiſteret, ideoque cũ talis actus ſit non exiſtentia mundi, volebat non exiſtentiam mundi indirectè, & reflexè, ex quo non ſequitur diſtinctio. Cæterum talis actus cum directè non sit volitio, ſed nolitio, non habet obiectum directum, quod velit eſſe, ſed ſolum obiectum, quod nolit eſſe. Hoc autem obiectum eſt mundus, qui non eſt ab ęterno, & denominatur non eſſe per ipſum decretum efficaciſsimum, quo Deus vult, vt ab ęterno non sit mundus, nec aliud quidquam diſtinctum à Deo, & à diminis decretis. Ad tertium diſtinguo maiorem; negatio tollens mundum pro vno tempore non remanet, poſito mundo pro alio tempore, nego maiorem; non remaneret, ſi mundus poneretur eo tempore, pro quo tollitur; concedo maiorem; coucedo minorem, & diſtinguo conſequens; ergo decretum Dei non erat negatio excludens mundum pro tempore poſt creationem, concedo conſequentiam; pro æternitate ante creationem, nego conſequentiam. Decretum Dei eſt negatio obiecti noliti pro tempore, pro quo il-
lud

lud excludit, & non vult;pro tempore verò, pro quo vult obiectum esse, non est negatio, sed potius est determinatio obiecti ad hoc, vt existat tali tempore. Cum ergo Deus per suum decretum noluerit mundum esse ab ęterno, sed voluerit mundum esse initio temporis, ac deinceps in æternum durare, tale decretum fuit negatio tollens mundum ab æterno, sed non fuit negatio tollens mundum initio temporis, ac deinceps per consequentem æternitatem, sed potius eiusdem determinatio. Posito ergo mundo pro tempore, pro quo non excludebatur ab esse, sed determinabatur efficaciter ad esse, non debuit tolli decretum. Si tamen mundus fuisset ante positus, tum non fuisset decretum excludens mundum pro tempore anteriore. Ad quartum distinguo maiorem; si mundus destrueretur, mutaretut intrinsecè per hoc, quod non haberet amplius vllum esse intrinsecum, concedo maiorem; per hoc, quod de nouo haberet aliquod esse intrinsecum, nego maiorẽ; & distinguo minorem; non potest mutari intrinsecè, seu constitui cum nouo esse intrinseco formaliter per decretum extrinsecum, concedo minorem; non potest mutari intrinsecè, seu constitui non habens amplius vllum esse intrinse-

cum per decretum extrinſecum, nego minorem; & nego conſequentiam. Non poteſt aliquid conſtitui habens formaliter nouum eſſe intrinſecum per aliquid extrinſecum formaliter, quia eſſe intrinſecum habetur formaliter ab aliquo intrinſeco; at poteſt conſtitui non habens vllum eſſe intrinſecum per formam extrinſecam, imò debet; cum repugnet, quod conſtituatur formaliter non habẽs quidquam intrinſecum per aliquid intrinſecum, alioquin non habere quidquã intrinſecum, eſſet intrinſecum, quod repugnat in terminis; ergo mundus cõſtitueretur carens omni eſſe intrinſeco per aliquid extrinſecum, hoc eſt per decretum excluſiuum omnis eſſe intrinſeci mundi. Et ſanè etiamſi mundus cõſtitueretur non exiſteus per negationẽ diſtinctam à decreto, adhuc hęc negatio non eſſet intrinſeca mundo, cum ipſum non eſſe non poſsit eſſe intrinſecum rei non exiſtenti. Ad quintum, iam dictum eſt in cõcluſione me præſcindere à quæſtione de decretis, & eorum complemento.

Ad 4. Iam dictum eſt concluſione quarta priuationes eſſe entitates poſitiuas ſubiectis intrinſecas excluſiuas aliarum entitatum. Sed remanet explicandum quo pacto entitates poſitiuę dicantur

tur negationes, non entia, & nihil. Dicuntur negationes, non entia, & nihil transitiuè, non autem intransitiuè. Sunt enim negationes non sui, quod esset negatio intransitiuè, sed oppositi. Similiter sunt nonentia, & nihil non sui, sed oppositi; e. g. negatio lucis non negat se, sed lucem: est nihil lucis, non sui; & est non ens, seu non esse lucis, non autem sui. Addo ex Aristotele primo de generatione, tex. 18. & 19. illud ex oppositis, quod est minus sensibile, vel minus perfectum, comparatione alterius sensibilioris, aut perfectioris dici non ens, & priuationem. Quod est minus sensibile dicitur non ens secundum sensum, quia quod non sentitur videtur nō esse, ideoque quę sunt plena aere insensibili vulgo dicuntur vacua, quia aer propter suam insensibilitatem sensui videtur non ens; ideo etiam quando aliquid euanescit in auras insensibiles, dicitur corrumpi, & transire in nihilum; similiter etiam imperfectius dicitur non ens comparatione perfectioris, e. g. frigiditas vocatur ab Aristotele priuatio respectu caloris. Cum verò oppositum est simul minus perfectum, & prorsus insensibile, tunc omninò vocatur priuatio: & idcircò tenebræ oppositæ luci dicuntur pura priuatio, tum quia sunt

omninò insensibiles, cum lux sit maximè sensibilis, tum quia sunt ens multo imperfectius luce.

Ad 5. Transeat totum, cum in conclusione excipiantur priuationes, & negationes, quę sunt formaliter exercitiũ libertatis, cuiusmodi sunt peccatum, & pura omissio.

Vtrum conueniens sit diuisio entis in decem prædicamenta. Quæstio L.

VIdetur non esse conueniens, 1. quia inconuenienter traditur diuisio alicuius generis, non præmissa definitione, vel descriptione talis generis; sed nulla est prẹmissa definitio, vel descriptio entis; ergo inconueniens est diuisio entis. Nec dicas ideò non prẹmissma descriptionem entis, quia conceptus entis est clarissimus, ideoque non indiget descriptione declarante. Nam contra est, quia conceptus entis est confusissimus, cum confundat omnia entia; sed conceptus confusissimus maximè indiget descriptione declarante; ergo &c.

2. Di-

2. Diuisio debet esse in membra immediatè opoosita ; sed membra immediatè opposita sunt substantia,& accidēs; ergo mala est diuisio, qua ens immediatè diuiditur in substantiam , & alia nouem prędicamenta accidentalia .

3. Si dicatur, quod ens diuiditur in prima genera vniuoca , accidens autem non est vniuocum; contra est, tum quia accidens non minus est vniuocum, quam substantia; tum etiam quia non requiritur, vt omnia prędicamenta sint genera vniuoca .

4. Non potest explicari , quo pacto differat diuisio prædicabilis in quinque prædicabilia à diuisione entis in decem prędicamenta .

5. Neque etiam potest explicari , vtrum omnia prędicamenta distinguantur realiter,an solum ratione, & per intellectum, vt multi putant de actione ,& passione .

6. Suprema genera relationis sunt duo , nimirum relatio , & correlatio; ergo prædicamēta non sunt solum decem, sed vndecim. Probatur antecedens ; si enim dicatur , quod sola relatio *vt sic* est supremum genus relationis , contra est , quia relationi *vt sic* opponitur correlatio vt sic ; sed etiam correlatio *vt sic* est summum genus , non minus, quam re-

relatio *vt sic* ; ergo summa genera relationis sunt duo.

Respondeo, quod Aristoteles præmissis definitionibus vniuocorum &c. tradit diuisionem entis in decem prædicamenta, quam dicitur sumpsisse ex Archita Tarentino. Aristotelem sequuntur Sanctus Augustinus libro decem Categariorum, Sanctus Thomas 3. physic. lectione quinta, & quinto metaphys. lectione nona, aliique communiter. Conuenientia diuisionis ex Sancto Thoma sic probatur. Ens dicitur multipliciter, & analogicè, sicut sanum; sed diuisio eius, quod dicitur multipliciter, non est in species proprias constitutas per hoc, quod eidem rationi genericæ addantur variæ differentiæ, sed per diuersos modos, quibus illud dicitur, eo pacto, quo sanum diuiditur per diuersos modos, quibus plura dicuntur sana ; ergo ens diuiditur per diuersos modos, quibus res dicuntur esse, ideoque prima genera, in quæ diuiditur ens, dicuntur prædicamenta, quia ens diuiditur per diuersum modum prædicandi, & essendi. Et quia prima substantia est primum fundamentum omnium prædicationum, ideò prædicamenta distinguuntur secundum diuersos modos, quibus ens prędicatur de prima substantia, siue de indiuiduo substantiali ;

li ; ſed decem ſunt modi prædicandi de ſubſtantia prima ; ergo decem ſunt prędicamenta . Probatur vltimum aſſumptũ. Vel enim aliquid prædicatur vt conſtitutiuum ſubſtantiæ primę , vel non; ſi vt conſtitutiuum, prædicatur vt ſubſtantia, vt cum dicitur *Petrus eſt homo , eſt animal;* &c. ſi non vt conſtitutiuum, vel prędicatur vt ſignificans aliquid intrinſecè inhærens , vel vt extrinſecè denominans , & afficiens ; ſi vt intrinſecè inhærens , vel vt abſolutum , vel vt reſpectiuum; ſi vt reſpectiuum, eſt relatio , vt cum dicitur, *Petrus eſt Pater* Filii; ſi vt abſolutum, vel vt conſequens materiã , & eſt quantitas , quæ competit rebus ratione materiæ , ideoque competit ſolis rebus materialibus , vt cum dicitur *Petrus eſt longus, latus , bicubitus , aut tricubitus*; ſi vt aliquid abſolutum ſpectans ad formam, eſt qualitas, vt cum dicitur Petrus eſt albus , muſicus , &c.

Si prædicatio ſignificat aliquid extrinſecè denominans , vel quod extrinſecè denominat ſe habet vt cauſa extrinſeca , vel vt extrinſeca menſura, vel neque vt cauſa,neque vt menſura; ſi per modum cauſæ extrinſecæ , vel res denominatur à cauſa agente, & eſt prædicamentum paſſionis : nam pati eſt recipere aliquid ab agente, eo pacto, quo res,

quę

quæ vritur, suscipit vstionem ab vrente; vel causa denominatur ab effectu producto, & est prædicamentum actionis, vt cum dicimus, *ignis vrit*, denominatur ab effectu vstionis.

Iam præter mensuras intrinsecas corporum spectantes ad prędicamentum quantitatis, quę mensurę sunt longitudo, latitudo, & profunditas, dantur duæ mensurę extrinsecæ, locus nimirũ, & tempus, à quibus desumuntur prædicamenta loci, & temporis, ad quę spectant prędicationes, quibus dicimus, res esse in hoc, vel illo loco, hoc, vel illo tẽpore. Locus est mensura permanens; nam partes loci simul permanent, ideoque tanta est magnitudo permanens cuiuscumque rei, quanta est magnitudo loci, quo immediatè circumscribitur. Tẽpus est mensura successiua, quia tanta est duratio rei, quantum est tempus, quo res durat, cuius temporis partes non permanent simul, sed vna trudit aliam, dies diem, hora horam &c. Præterea si explicetur ordo partium in loco, est prędicamentum situs, ad quod spectant prædicationes, quibus res dicitur stare, vel iacere, &c.

Demum si res denominatur ab aliquo extrinseco, quod neque sit causa, neque mensura, est prædicamentum habitus, secun-

cundum quod homo dicitur armatus, vestitus, calceatus &c. per denominationem ab armis, vestibus, calceis &c. non intrinsecè inhęrentibus, neque extrinsecè causantibus, aut mensurantibus, sed purè adiacentibus.

Notat autem Sanctus Thomas, quod prędicamentum habitus primo, & per se conuenit homini, secundario verò conuenit etiam aliis rebus, in quantum deseruiunt vsibus humanis. Ratio est, quia solus homo per suas partes substantiales non est sufficienter vestitus, armatus, calceatus à natura, quia natura loco naturalium vestium, & armorum vnius determinati generis, dedit homini ingeniũ, & manus, quibus posset se vestire, & armare multiplici genere vestium, & armorum, conuertendo etiam in suos vsus vestes, & arma omnium animalium; ergo cum non sit à natura vestitus, & armatus, indiget vestibus, & armis extrinsecè adiacentibus. At quia natura negauit brutis ingeniũ, & per cõsequens manus, quæ sunt instumenta ingenii, & artis, quibus possint sibi conficere vestes, & arma, cum alioquin non deficiat in necessariis, illa vestiuit, & armauit suis partibus substantialibus, nimirum corio, pilis, squammis, vnguibus, dentibus, &c. Hinc est, vt ad diuersum

præ-

prædicamentum ſpectét iſtę prædicationes, *Leo eſt veſtitus pilis, ac iubis, armatus dentibus, & vnguibus; homo eſt veſtitus ſericis, vel pannis, armatus gladio*. Prima enim ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ, cum pili, iubę, dentes, & vngues ſint partes ſubſtantiales leonis, ac proinde eſt ſimilis prędicationi, qua dicitur; *homo eſt piloſus, capillatus, barbatus, pedatus, &c.*; at ſecunda ſpectat ad prędicamentum habitus, nam veſtes & arma extrinſecus adiacent homini. Bruta tamen ad vſus humanos veſtiuntur, & armantur, eo pacto, quo equus conſtituitur phaleratus, ſellatus, & armatus ad vſum hominum. Parietes etiã veſtiuntur, & armantur ad vſus humanos.

Ad 1. Multi antequam tradant diuiſionem entis conantur explicare, quid ſit ens. Sed iſti ſi intendant explicare ens per aliquid notius, ſimiles sunt alicui, qui conaretur illuminare ſolem per aliquid lucidius. Sicut enim ſol eſt viſibile omnium viſibiliſſimum, & lucidiſſimũ, ſic ens eſt intelligibile clariſsimum, & omnium intelligibiliſsimum. Et ſicut lux eſt viſibilis per ſe ipſam, & reddit viſibilia cætera, quæ eatenus poſſunt videri, quatenus ſunt illuminata, & participant de luce; ſic eſſe eſt intelligibile per

per se ipsum, & reddit intelligibilia cætera, quę eatenus possunt intelligi, quatenus participant de esse, ideoque quæ plus habent entitatis, plus habent intelligibilitatis, sicut quæ plus habent lucis, plus habent visibilitatis. Hinc est, vt dicat Auicenna primo metaphysicę capite quinto citatus à Sancto Thoma initio libri de ente & essentia, quod ens & essentia sunt quæ primo intellectu concipiuntur. Confirmatur à posteriori primo, quia quæcumque cognoscimus, cognoscimus per esse; e. g. hominem,& leonem cognoscimus tanquam entia; possibile dicimus, quod potest esse; impossibile, quod non potest esse; negationem, quę tollit esse; chymeras cognoscimus ad modum entium. Confirmatur secundo,quia quicumque conati sunt explicare ens, explicauerunt per aliquid, quod in suo conceptu manifestè inuoluit ipsum esse explicandum. Dixerunt enim aliqui ens esse, quod non est impossibile, vel non implicat; sed impossibile est, quod non potest esse, implicans,quod non potest simul esse,& non esse; ergo explicarunt ens per aliquid, quod in suo conceptu inuoluit esse. Alii dixerunt, quod ens est, quod non est nihil, siue contradistinguitur à nihilo. Sed nihil est non ens; ergo dixerunt,
quod

quod ens est, quod non est non ens, & sic ens explicarunt per aliquid inuolués in suo conceptu ens. Prçter quam quod explicarunt ens per negationem negationis entis, quod est inconueniens, sicut esset inconueniens, si quis describeret hominem, quod non est non homo. Non potest igitur ens explicari per aliquid notius, ac non inuoluens in suo conceptu ipsum esse.

Ad argumentum in contrarium, distinguo maiorem: conceptus entis est confusissimus respectu inferiorum, quę confundit, & à quibus prçscindit, concedo maiorem; respectu rationis ipsius entis, quam exprimit, nego maiorem; & distinguo minorem; conceptus[a] confusissimus respectu inferiorum indiget descriptione declarante rationem expressam, nego minorem; conceptus cōfusus quo ad rationem expressam, concedo minorem; & nego consequentiam. Dupliciter conceptus alicuius rationis potest esse confusus; primo in quantum confundit inferiora, à quibus præscindit: hoc pacto conceptus animalis est confusus respectu hominis, & equi, & aliorum animalium: secundo respectu rationis expressę; hoc pacto, quia conceptus animalis est confusus respectu rationis animalis, quam exprimit, debet

ex-

explicari per definitionem declarátem, quid sit animal, ac dicentem, quod est viuens sensitiuum & quia etiam conceptus viuentis exprimit confusè rationem viuentis, debet vlterius explicari, declarando quid sit viuens, dicendo, quod est corpus vegetabile; quia rursus conceptus corporis exprimit confusè ipsum corpus, declarari debet per definitionem dicentem, quod corpus est substantia postulans trinam dimensionem; ac similiter conceptus substantiæ explicari debet dicendo, quod substantia est ens per se. Iam in explicationibus non debet procedi in infinitum; ergo debet tandē perueniri ad aliquam rationem, de qua non sit vlterius quærendum, quid sit; talis autem est ratio entis, cum ens sit omnium notissimum, vt probatum est; ergo non est vlterius quęrendum, quid sit ens, nec potest ens explicari per rationem magis notam. Quia tamen conceptus entis confundit omnia entia, debet explicari per diuisionem in varia entia, quod facit *Aristoteles*, dum diuidit ens in decem prædicamenta. Conceptus igitur confusissimus quo ad inferiora, sed clarissimus quo ad rationem expressam, debet explicari per diuisionem in inferiora, non verò per descriptionem rationis expressę. Confirmatur, quia con-

conceptus minus vniuersales definiũtur per magis vniuersales: e.g. homo definitur per animal, animal per uiuens, &c; sed obscurius definitur per clarius; ergo conceptus vniuersaliores sunt clariores quo ad rationem expressam: ergo conceptus vniuersalissimus adeoque, cõfusissimus quo ad inferiora, qualis est conceptus entis, est clarissimus quoad rationem expressam, ac proinde indefinibilis per rationem clariorem. Confirmatur vlterius, quia illa ratio, quæ est ita clara, vt non possimus facere vllum conceptum ita confusum, quin se manifestet, proculdubio est ratio clarissima; sed huiusmodi est ratio entis, ergo, ratio entis est clarissima, & cognoscibilissima, ideoque ad hoc, vt cognoscatur, minima requiritur aduertentia.

Ad 2. Non requiritur ex necessitate, vt diuisio, pręsertim analoga, sit in membra immediatè opposita, sed sufficit vt possit reduci ad membra cõtradictoria; diuisio verò allata reducitur ad mẽbra contradictoria, vt patet ex probatione conuenientiæ; ergo licet potuisset etiam aliter fieri, est optima. Confirmatur, quia cum analogum diuiditur, pro primo membro debet poni analogatum principale, deinde quę important diuersum ordinem ad ipsum; sed in allata

lata diuisione primum membrum poni-
ur substantia, quæ est principale analo-
gatum, deinde enumerantur modi, qui-
bus alia dicuntur entia per ordinem ad
ubstantiam; ergo &c. Confirmatur vl-
erius, quia sicut primæ species nume-
orum sunt decem, ita vt aliç nouem
licantur per ordinem ad vnitatem, quæ
st prima, cęteræ verò species infinitę
onstituuntur per repetitionem prima-
um decem specierum; vndecim enim
gnificat, decem & vnum; centum de-
ies decem; sic congruum fuit, vt decem
onerentur prima genera entium, ita vt
ouem ex ipsis dicerentur per ordinem
d substantiam, quę est primum genus,
lia verò innumerabilia genera, & spe-
ies entium reducerentur ad decem pri-
na genera.

Ad 3. Quidquid sit, vtrum omnia pręd-
icamenta sint genera vniuoca, in qua
uæstione magis prolixa, quam vtili non
l immorandum, accidens vt sic non
l vniuocum, sicut substantia. Ratio
l, quia includitur formaliter in suis
fferentiis, cum differentiæ accidentis
ipso, quod sunt differentiæ accidentis
nt accidens.

Ad 4. In diuisione prędicabilis diui-
tur secunda intentio in alias secundas
tentiones; at in diuisione entis diuidi-
tur

tur prima intentio in alias primas intentiones.

Ad 5. Ex mea ſententia, quod actio & paſsio diſtinguantur à parte rei, ſequitur omnia predicamenta importare aliquid realiter diſtinctum; licet in hoc puncto non conueniant auctores.

Ad 6. Summum genus in prædicamento relationis eſt relatio *vt ſic*, in quantum abſtrahit à relatione, & correlatione; nam etiam correlatio eſt quędam relatio, cum ſit ad aliquid. Dum opponitur, quia relationi *vt ſic* opponitur correlatio *vt ſic*; nego antecedens, ſi relatio *vt ſic* ſumatur ſub abſtractione poſita. Sicut enim contrario *vt ſic* non opponitur aliud contrarium vt ſic, cum ratio contrarii vt ſic ſit ratio, in qua conueniunt omnia contraria; ſic relationi vt ſic, quæ eſt ratio, in qua conueniunt relatio, & correlatio, non opponitur correlatio. Singula igitur contraria habent ſuum contrarium, e. g. album habet pro contrario nigrum, dulce amarum &c; ſed ratio generica, in qua conueniunt omnia cõtraria, non habet contrarium; ſic ſingulæ relationes habent ſuam correlationem, e. g. paternitas habet pro correlatione filiationem, ſed ratio generica, in qua conueniunt omnes relationes, & correlationes, non habet

cor-

correlationem. Proportionaliter, cum quęritur, quis sit terminus relationis *vt sic*, dicendum, quod est ratio communis termini. Sicut enim relatio *vt sic* est ratio communis, in qua conueniunt omnes relationes, sic terminus relationis *vt sic* est ratio communis, in qua conueniunt omnes termini.

Vtrum Deus sit in Genere, vel Prædicamento. Quæstio LI.

VIdetur, quod sit, 1. quia substantia dicitur propriè de Deo, & creaturis; sed substantia est genus, & prędicamentum; ergo Deus, & creaturæ conueniunt in aliquo genere, & prædicamento.

2. Vnumquodque mensuratur per aliquid sui generis, vt Aristoteles docet 10. Metaph. Textu 4. e. g. longitudo mensuratur longitudine. &c; sed Deus est prima mensura omnium substantiarum, vt dicit etiam Auerroes in commentario 10. Metaphysicę; ergo Deus conuenit in genere substantiæ cum omnibus substantiis creatis.

3. Si posset dari ratio, quę diceretur

vniuocè de Deo, & creaturis, eo ipso talis ratio esset generica, cum esset perfectè vna; ac prędicabilis de pluribus differentibus specie; sed plures rationes dicuntur vniuocè de Deo, & creaturis, e. g. ratio substantiæ, viuentis, intellectiui, sapientis &c; ergo &c. Minor probatur, nam tales rationes perfectè præscindunt à differentiis Dei, & creaturę; ergo &c.

Respondeo Deum non esse in prędicamento, nec in vllo genere, imo non conuenire in vlla ratione vniuoca cum creaturis, vt cum S. Thoma prima parte quæst. 3. & quæst. 13. art. vtrobique 5. docent communiter Scolastici paucis exceptis. Probatur primo, quia omne genus est prædicabile de pluribus specie differentibus; sed nulla ratio communis Deo, & creaturis, in quantum talis, est prædicabilis de pluribus specie differentibus; creaturę enim propriè non differunt à Deo specie, & perfectione, sed negatione speciei, & perfectionis, vt dictum est qu. 42; ergo non datur genus commune Deo, & creaturis, adeoque Deus non est in genere, nec in prædicamento, cum prędicamenta sint summa genera.

Secundo probatur, quia vt aliquid sit in genere, debet esse compositum ex ra-

ratione generica, ac differentiali cum fundamento in re, vt dictum est quęst. 40; sed Deus non est compositus ex ratione generica, ac differentiali cum fundamento in re; ergo &c. Minor probatur, quia vt aliquid sit compositum cum fundamento in re, debet in illo dari aliqua compositio physica, quę sit fundamentum metaphysicæ, vt indicat S. Thomas, quæst. 3 art. 5. & explicatum est loco citato; sed in *Deo* nulla est compositio physica, cum sit omninò simplex, ergo &c.

Tertio probatur, quia nullum prædicamentum, & nullum genus includit perfectionem omnium generum, & omnium prędicamentorum; e. g. prædicamentum substantiæ non includit totam perfectionem quantitatis, qualitatis &c. similiter prædicamentum quantitatis nō includit totam perfectionem substantiæ &c, sed vnumquodque prædicamentum dicit propriam perfectionem tantum. Similiter genus animalis non includit totam perfectionem generis plantarum, idemque dic de cæteris generibus; solum verò ens, quod non est genus, vt dictum est quæst. 45. includit perfectionem omnium generum, & omnium prędicamentorum, & cum diuiditur *in* decem prędicamenta, diuiditur in decem

ſumma genera, quorum vnumquodque includit partem entitatis, & perfectionis, non verò totam entitatem, & perfectionem; ſed Deus eſt ens, quod includit perfectionem omnium generum, & omnium prædicamentorum, ac totius entis; ergo Deus non includitur, nec ſubiicitur vlli determinato generi, ac prædicamento, ſed tranſcendit omnes ſpecies, omnia genera, & omnia prædicamenta, atque eſt primum principium continens omnia genera, ſpecies, & prædicamenta.

Quarto probatur, quia genus non debet eſſe de eſſentia differentiarum, vt ex Ariſtotele 3. Metaph. Textu 10. docet S. Thomas prima parte quæſt. 3. art. 5. in corpore, iam allegatus quæſt. 45; ſed omnis ratio perfectiua cõmunis abſtrahibilis à Deo, & creaturis includitur in differentia Dei; ergo nulla ratio communis poteſt eſſe genus reſpectu Dei, & creaturarum. Minor probatur, quia differentia Dei eſt, vt ſit eminenter omnia, ſiue vt includat omne eſſe, & omnem perfectionem; ſed quodlibet eſſe, & quælibet differentia perfectiua eſt de eſſentia rationis, quæ eminenter eſt omnia, & includit omnem perfectionem; ergo &c

Quinto probatur, quia nulla ratio com-

communis Deo, & creaturis est vniuoca; sed ad genus requiritur, vt sit ratio vniuoca; ergo nulla ratio communis Deo, & creaturis est genus. Probatur maior; ad vniuoca requiritur, vt ratio significata per nomen sit eadem, & omninò similis; sed ratio significata per quodlibet nomen commune Deo, & creaturis nunquam est eadem, siue omninò similis, sed infinitè dissimilis; ergo &c. Minor probatur exemplificando in rationibus substantię, viuentis, intellectiui, sapientis, &c. Ratio obiectiua, per quam creaturæ sunt substantiæ est ratio finita, & limitata excludens identitatem cum perfectionibus aliorum prædicamentorum; ratio, per quam Deus est substantia, est ratio infinita, ac illimitata includens per identitatem perfectissimam omnes omninò perfectiones; sed ratio infinita, & includens omnes perfectiones est infinitè disimilis à ratione finita, & importante perfectionem limitatam; ergo ratio, per quam Deus est substantia, est infinitè dissimilis à ratione, per quam creaturę sunt substātiæ. Idem dic proportionaliter de rationibus viuentis, intellectiui, sapientis; &c. Ratio enim qua Deus est viuens est infinita intellectio actualis comprehensiua omnium; ratio qua creaturæ sunt

viuentes vel intellectiuę non est intellectio actualis.

Hanc rationem satis clarè insinuat Sanctus Thomas prima parte, quæst. 13. art. 5. in corpore, dicens. *Omnes rerum perfectiones, quæ sunt in rebus creatis multipliciter, & diuisim, in Deo existunt vnitè. Sic igitur cum aliquod nomen ad perfectionem pertinens de creatura dicitur, significat illam perfectionem distinctam secundum rationem distinctionis ab aliis; puta, cum hoc nomen, sapiens, de homine dicitur, significamus aliquam perfectionem distinctam ab essentia hominis, & à potentia, & ab esse ipsius, & ab omnibus huiusmodi; sed cum hoc nomen de Deo dicimus, non intendimus significare aliquid distinctum ab esse, vel potentia ipsius; & sic cum hoc nomen sapiens de homine dicitur, quodammodo describit, & comprehendit rem significatam non autem cum dicitur de Deo, sed relinquit rem significatam vt incomprehensam, & excedentem nominis significationem. Vnde patet, quod non secundum eandem rationem hoc nomen sapiens de Deo, & de homine dicitur, & eadem est ratio de aliis, & vnde nullum nomen vniuocè de Deo, & creaturis prædicatur.*

Hinc patet S. Thomam supponere, quod nomina vniuoca creaturarum significant rationem distinctam obiectiuã, vt

vt patet ex adducto exemplo ; ſapientiæ ; ſed nomina generum ſunt vniuocæ; ergo ſignificant rationem diſtinctam obiectiuè ; ergo , rationes genericę diſtinguuntur obiectiuè à rationibus differentialibus .

Secundo dicit, quod nomina vniuoca creaturarum deſcribunt, ac quodammodo comprehendunt rem ſignificatam ; ſed ſi rationes non diſtinguerentur obiectiuè , nomina vniuoca non deſcriberẽt, nec comprehenderent rem ſignificatam ; ergo . &c. Minor probatur , nam ideò nomen ſapientię dictum de Deo non deſcribit , nec comprehendit rem ſignificatam , quia ſapientia diuina non eſt ſolum ſapienta , ſed eſt etiam potentia , eſsentia , iuſtitia , ac quęlibet perfectio; ſed etiam ſubſtantia creata eſt eadem cum omnibus, ac ferè infinitis differentiis ſubſtantiarum; ergo nomen ſubſtantię creatæ non deſcribit , nec comprehendit rationem ſubſtantiæ,sed relinquit rem ſignificatam vt incomprehenſam , & excedentem nominis ſignificationem. E conuersò ſi ratio ſubſtantiæ eſt ſolum ſubſtantia , & diſtinguitur obiectiuè à differentiis , comprehenditur à nomine, cum cognitio dicens ſubstantiam cognoſcat rationem obiectiuam ſubstantię quidditatiuè & perfectè;idemque dic de

aliis nominibus generum ac specierum.

Desumpsit autem S. Thomas hanc doctrinam ex Dionysio libro de diuinis nominibus, & de myst.theol.docet enim initio libri de diuinis nominibus, & alibi sæpe, Deum esse supra cognitionem, & nomen, ideoque esse ignotum, innominabilem, & ineffabilem; quia nomina Dei, vt nomen sapientis &c, cum relinquant diuinam sapientiam, & quamcũque aliam rationem significatam vt incomprehensam, & excedentem nominis significationem, & quamcumque nostrã cognitionem, semper relinquunt Deum vt ignotum, & non sufficienter nominatum; & expressum; ideò dicit Deum non tam esse sapientem, quam supersapientem, non tam esse substantiam, quã supersubstantiam, quia est ens excedens infinito excessu, quod significamus, & intelligimus nomine sapientiæ, substantię &c. Docet etiam, præsertim libro de mystica theologia omnia nomina posse aliqualiter negari de Deo, dicendo *Deus est nec ens, nec substantia* &c, quia nimirum excedit infinito excessu quod nos significamus nominibus entis, substantię, & omnibus aliis nominibus; & concludit per hunc modum negandi de Deo omnia nomina formari perfectissimam

ſimam cognitionem, quam poſſumus in hac vita formare de Deo, quæ ſpectat ad myſticam, ſiue ſecretam theologiam, quæ contemplatur Deum, vt ignotum, & effugientem cognitionem noſtram. Sed, ſi gradus in creatis non diſtinguerentur obiectiuè, etiam rationes creatę, e. g. animal, viuens &c. eſſent ignotæ, & non ſufficienter nominabiles; animal enim dicit rationem identificatam cum innumerabilibus differentiis ſpecificis animalium, & cum infinitis differentiis indiuidualibus eorundem; infinitum verò rationum diſſimilium nec ab Angelo eſt perfectè, ac quidditatiuè cognoſcibile; ergo rationes animalis, viuentis &c, remanent ſemper ignotæ, nec ſufficienter nominabiles etiam ab intellectu angelico; ergo, hęc innominabilitas, & ineffabilitas non eſt propria rationum, quę dicuntur de Deo. Si rationes diſtinguuntur, ratio animalis eſt omninò ſimilis in omnibus animalibus, adeoque ſufficienter, & quidditatiuè nominatur etiam ab homine per hoc nomen *animal*, ſeu *viuens ſenſitiuum*.

Iuxta ſententiam negantem diſtinctionem obiectiuam graduum, dicēdum, quod ad vniuocationem requiritur, vt ratio communis non includatur formaliter in ratione differentiali; ſed ratio

communis Deo, & creaturis formaliter includitur in differentia Dei, quę est esse ens continens omne esse, vt dictum est in quarta probatione conclusionis; ergo &c. Applicanda verò est doctrina tradita de ente quæst. 45.

Colligitur esse proprium solius Dei, vt non sit in genere, vel in prædicamento, neque conueniat vniuocè cum vllo alio ente. Probatur: nam rationes oppositæ illis, quibus probatur Deum non esse in genere &c. ostendunt creaturas esse in genere; ergo &c. Probatur antecedens: prima enim ratio est, quia nulla creatura propriè specie differt à Deo; sed omnes creaturæ differunt specie, & perfectione, vt dictum est quæst. 42.; ergo &c. Secunda est, quia in Deo non datur vlla compositio physica, quę sit fundamentum metaphysicę; sed in omni creatura datur aliqua compositio physica, saltem ex essentia, & esse vel duratione, vt dictum est quæst. 40; ergo &c. Tertia est quia Deus includit perfectionem omnium generum, & prædicamentorum; sed nulla creatura includit perfectionem omnium generum, & prędicamentorum; ergo &c. Quarta est, quia differentia Dei includit omnem rationem perfectiuam; sed nulla differentia creaturæ includit omnem


rationem perfectiuam; ergo potest dari aliqua ratio communis non inclusa formaliter in differentia creaturæ. Quinta demum est ex eo, quod in Deo perfectiones omnes debent esse vnitę, & idẽtificatę; sed in creaturis debent esse multipliciter & dispersę; ergo potest dari aliqua ratio vniuoca, in qua creaturę conueniant cum aliquibus aliis creaturis.

Ad 1. Concedo maiorem, & distinguo minorem; substantia est genus & prædicamentum, in quantum dicitur vniuocè, concedo minorem; in quantũ dicitur analogicè, nego minorem; & nego consequentiam.

Ad 2. Distinguo maiorem; vnumquodque mensuratur per aliquod sui generis in iis, quæ possunt adęquari, & inuicem commensurari, concedo maiorem; in iis, quę non possunt adęquari, nec inuicem commensurari, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorẽ; & nego consequentiam. Duplex est mensura, alia quæ finities replicata potest adæquare, vel etiam excedere mensuratum, & hęc debet esse eiusdem generis; e g. vnitas est mensura eiusdem generis omnis numeri, quia finities replicata adæquat quemcumque numerum; longitudo etiam bipalmaris est

mensura eiusdem generis longitudinum maiorem ex eadem ratione. Secunda mensura est, quę non consistit in hoc, vt finities replicata possit adæquare, vel excedere mensuratum, sed in hoc, vt essentia, natura, ac perfectio mensurati debeat tali mensuræ correspondere secundum quandam proportionem. In hoc sensu substantia est mensura accidentium, quia accidentia, cum sint entia substantię debent habere essentiam proportionaliter respondentem substantiæ; Deus est mensura creaturarum, quia naturæ creatę consistunt in hoc, vt participent diuinam perfectionem secundum varios gradus. Talis verò mensura non debet esse eiusdem generis, vt patet in substantia, quæ ita est mensura accidentium, vt sit in genere diuerso.

Ad 3. Iam est ostensum nullam rationem dici vniuocè de Deo, & creaturis.



Vtrum

Vtrum conuenienter coordinetur prædicamentum substantiæ. Quæstio LII.

VIdetur, quod non, primo quia ad coordinandum predicamentum substantiæ, debet in eo assignari supremum genus vniuocum; sed non conuenienter assignatur hoc supremum genus; ergo &c. Minor probatur, quia hoc supremum genus esset substantia creata completa; sed inconuenienter assignatur substantia creata completa, alioquin, cum etiam Angeli, & corpora cœlestia conueniant cum corporibus corruptibilibus in ratione substantiæ creatæ completæ, conuenirent in genere, quod est contra Aristotelem decimo metaphysicæ, textu 26. docentem quod corruptibile, & incorruptibile non conueniunt genere; ergo &c. Confirmatur, quia genus vniuocum non debet includi formaliter in differentiis; sed substantia includitur in suis differentiis, differentię enim substantię sunt formaliter substantia ex proportionali ratione, ex qua differentiæ accidentis sunt formaliter accidens, vt dictum est quęst. 50. ad tertium

tium, alioquin si differentiæ substantiæ non essent formaliter substantia, essent accidens, quod est absurdum, ergo. &c.

2. Ad coordinandum prædicamentum substantię deberet explicari; quid sit coordinatio lineę prædicamentalis; quid sit poni in prædicamento directè, indirectè, vel reductiuè; hęc non explicantur; ergo &c.

Respondeo, quod coordinatio lineæ est coordinatio prædicamentorum, & subiectorum, superiorum & inferiorum ab vltimo indiuiduo vsque ad supremũ genus. Prędicamentum igitur substantiæ coordinatur ponendo infimo loco aliquam primam substantiam; supra illã speciem infimam, deinde genera superiora, & supriora vsque ad supremum genus vniuocum, vt patet in subiecta figura.

Substantia.

Corporea | Incorporea

Corpus

Animatum | Inanimatum

Viuens.

Sensibile | Insensibile

Animal

Rationale | Irrationale

Homo

Petreitas Petrus Pauleitas.

Tri-

Tripliciter igitur aliqua ponuntur in prędicamento; primo directè, & hoc pacto ponitur in prędicamento prima substantia, & eius species, ac genera vsque ad supremum genus: secundo indirectè & hoc pacto ponuntur in prædicamento differentiæ diuisiuæ generum, & constitutiuę specierum, e. g. corporeum, & incorporeum, seu spirituale. Tertio reductiuè; & hoc pacto ponuntur in prędicamento substantiæ partes physicę substantiarum, vt materia, & forma; manus, & pedes. Reducuntur etiam ad prædicamentum substantiæ negationes, & impossibilia substantiarũ; e. g. negatio hominis, hircoceruus &c. Proportionaliter philosophandum de aliis prædicamentis, de quorum coordinatione nihil est specialiter addendum. Omnia igitur intelligibilia sunt aliqualiter in prędicamento saltem reductiuè, excepto Deo, qui est super omnia prædicamenta vtpotè principium omnium.

Sed assignandum est supremum genus vniuocum substantiæ. Dico, quod non est substantia vt sic, in quantum dicitur de creata, & increata, quia hæc est analoga, vt dictum est quæst 51; neque substantia finita vt sic, quatenus dicitur de completa, & incompleta, seu de partibus substantialibus, quia partes sub-

ſubſtantiales non ponuntur in prędicamento directè, ſed indirectè; ſed ea de quibus prædicatur ſupremum genus ſubſtantiæ ponuntur in prędicamento directè; ergo ſupremum genus ſubſtantiæ non eſt ſubſtantia finita, in quantum prædicatur de partibus; ergo ſupremũ genus vniuocum ſubſtantiæ eſt ſubſtantia finita, completa, in quantum dicitur de omnibus ſubſtantiis completis ſpiritualibus, & corporeis, corruptibilis, & incorruptibili. Subſtantia autẽ completa non includitur formaliter in vllis ſuis differentiis, quia differentiæ ſubſtantię, e.g. materialitas, ac ſpiritualitas non ſunt formaliter ſubſtantię completę, ſed ſolum incompletæ, hoc eſt partes, & conſtitutiua ſubſtantię.

Ad 1. Ariſtoteles dum dicit, quod corruptibile, & incorruptibile non ſunt in eodem genere, loquitur de genere physico, vt ex Sancto Thoma dictum eſt quæſt 40 Explicatum eſt etiam, quo pacto differentiæ ſubſtantiæ nõ ſint formaliter ſubſtantia completa, ſed incompleta, ideoque ſubſtantia completa non includatur in differentiis, & ſit vniuoca, cum ex oppoſitione ratione ſubſtantia incompleta includatur in differentiis; & ſit analoga. Ex eo verò, quod diffe-

differentiæ substantię non sint formaliter substantia completa non sequitur, quod sint accidentia, sed quod sint substantiæ incompletę. Disparitas inter differentias accidentis, & substantię est manifesta; differentia enim constitutiua accidentis à fortiori est accidens; ergo includitur in conceptu suarum differentiarum; at differentiæ constitutiuæ substantiæ completę, quę sola simpliciter est per se, non sunt substantiæ completæ, sed incompletæ & partiales.

Ad 2. Patet ex dictis, cum sint explicata dubia proposita.

Vtrum omnia entia, & omnia prædicamenta per se ipsa sint relatiua. Quæstio LIII.

VIdetur, quod omnia entia, & omnia prędicamenta per se ipsa sint relatiua, primo quia tum essent relatiua per se ipsa, cum essent omninò identificata cum aliquo ordine ad terminum extrinsecum; sed omnia entia, etiam diuina essentia, & omnia prædicamenta, etiam substantia sunt omninò identifica-

ta

ta cum aliquo ordine ad terminum extrinsecum ; ergo &c. Minor probatur ; nam in primis diuina essentia, quę est ens maximè absolutum est omninò idétificata cum scientia omnis scibilis, cum intellectione omnis intelligibilis, & cũ potentia productiua omnis producibilis; sed scibile, intelligibile, & producibile sunt termini extrinseci, vel saltem includunt aliquid extrinsecum à Diuina essentia, ideoque scientia cum sit scibilis scientia est relatio, vt docet Aristoteles capite de relatiuis, idemque valet de intellectione & potentia ; ergo &c. substantia etiam creata per se ipsam est ens, non à se, sicut Deus, sed ab alio extrinseco, hoc est à Deo ; sed esse ab alio est relatio, cum sit ordo ad extrinsecum ; ergo substantia creata est relatio, saltem ad Deum ; ergo etiam omnia accidentia, cum sint creata sunt relatio ad Deum ; valet enim eadem ratio; sed Deus est prima possibilitas, à qua denominantur possibilia omnia entia creata ; ergo omnia entia creata sunt per se ipsa relatiua ad possibilitatem omnium aliorum entium, adeoque ad omnia alia entia vt possibilia.

2. Ex substantiis pręcipuæ, & maximè absolutę sunt cognoscitiuæ ; sed omnes substantię cognoscitiuæ sunt relati-

uæ

ne ; cognoscitiuum enim est cognosci-
ilis cognoscitiuum ; ergo etiam substã-
æ inferiores cognoscitiuis sunt relati-
æ, non solum ad Deum, sed etiam ad
liquem terminum creatum, eo pacto
uo substantiæ cognoscitiuæ sunt relàti-
ę ad cognoscibile creatum.

3 Ex accidẽtibus pręcipua sunt actus
ognoscendi, intelligendi, volendi &c;
:d omnes tales ac us per se ipsos sunt
elatiui ad obiecta; ergo etiam alia acci-
entia magis mperfecta per se ipsa sunt
elatiua ad obiecta.

4. Videtur manifestum, quod actio,
: passio per se ipsa referuntur ad agẽs,
: terminum ; ergo pradicamenta
ctionis, & passionis sunt relatiua per se
sa.

Respondeo, quod quatruplex est esse.
'rimum est esse à se, quod scilicet non
it ab vllo alio esse, nec in vllo alio es-
:; & hoc est esse diuinum. Secundum
it esse non à se, sed per se, quod ita
st ab alio, vt non sit in alio esse, tan-
uam in subiecto, & hoc est esse substã-
æ createę, queę ita est à Deo, vt non
: in alio esse, tanquã in subiecto. Ter-
um est, non à se, neque per se, sed in
lio esse, & hoc est esse accidentium,
uod non solum est ab alio esse, sed
tiam est in alio, tanquam in subiecto.

Quar-

Quartum est esse, quod non solum est ab alio, & in alio, sed etiam ad aliud extrinsecum, tanquam ad terminum, & hoc est esse relationis accidentalis, quod non solum est ab alio, & in alio, sed etiam ad aliud extrinsecum.

Hoc esse ad aliud precisè sumptum, quod est esse relationis, vt dicit Auerroes vndecimo metaphysicæ relatus à Sancto Thoma in disputatis, quęst. 7. artic. 9. est debilissimum inter omnia predicamenta; & quia cognoscibilitas proportionatur entitati rei cognoscibilis, ideò est obscurissimum, ac minimè cognoscibile inter omnia prædicamenta; ex quo ortum est, vt quidam putauerint esse relatiuum non dari à parte rei, sed solum per intellectum, ac solum secundo, non primo intentionaliter. Et confirmatur, quia sicut ex debilitate esse relatiui oritur, vt in essendo non solum pendeat à subiecto, sed etiam à termino extrinseco, sic ex debilitate cognoscibilitatis oritur, vt in cognoscendo non solum pendeat à subiecto, sed etiam à termino extrinseco, ac sit definiendum per duplex additamentum, hoc est subiecti, ac termini extrinseci. *De* hoc esse ad aliud, quod est esse formale relationis, quęritur, vtrum possit omninò identificari cum esse à se, quod est es-

se

[ſ]e diuinæ eſſentiæ, & cum eſſe per ſe, [q]uod eſt eſſe ſubſtantię creatę, & cum [e]ſſe in aliquo quantitatis, qualitatis, & [a]liorum prædicamentorum.

Dico primo; diuina eſſentia, & tota [d]iuina perfectio eſt omninò absoluta, & [n]on relatiua ad creaturas, niſi relatione [r]ationis, & secundum dici. Probatur [e]x definitione, ac differentia eſſe relati[u]i, & abſoluti. Eſſe abſolutum eſt eſſe [n]on connexum cum alio eſſe, & tale, vt [p]oſſit eſſe ſine quolibet alio eſſe; è con[u]erſo eſſe relatiuum eſt eſſe connexum [c]um alio eſſe, & quod dari non poteſt [ſ]ine alio eſſe; ſed diuina eſſentia, & per[f]ectio habet eſſe non connexum cum [n]llo alio eſſe; ergo &c. Probatur minor [q]uia licet diuina eſſentia ſit potentia [o]mnis producibilis, ſcientia omnis ſci[b]ilis, & intellectio omnis intelligibilis, [t]amen producibile, ſcibile, & intelligi[b]ile creatum non habet neceſſariò, & [a]b æterno vllam producibilitatem, ſcibi[li]tatem, & intelligibilitatem, vel omni[n]ò vllum eſſe, niſi per denominationem [p]urè extrinſecam à *D*iuina potentia, [ſ]cientia, & intellectione, vt dictum [e]ſt quæſt. 47; ergo diuina potentia, & [in]tellectio non eſt connexa cum vllo [a]lio eſſe, ſed eſt omninò abſoluta. In [ſe]ntentia ponente poſſibilitatem paſſiuam

crea-

creaturarum, saluari non potest, quod diuina essentia sit omninò absoluta, ideoque etiam ex hoc capite illa sententia est reiicienda. Addidi potentiam, sciẽtiam, & intellectionem diuinam esse relatiua secundum dici. Ratio est, quia relatiua secundum dici sunt, quæ licet non habeant esse cõnexum cum alio esse, dicuntur tamen aliorum, sed potentia, scientia, & intellectio diuina, licet non habeant esse connexum cum alio esse dicuntur aliorum, cum potentia dicatur producibilis potentia &c; ergo sunt relatiua secundum dici. In hoc verò sensu sunt intelligendæ duæ definitiones Aristotelicę capite de ad aliquid. Prima, quæ definit relatiua secundum dici est, *relatiua sunt quæ hoc ipsum, quod sunt aliorum esse dicuntur*. Secunda, quę definit relatiua secundum esse est, *relatiua sunt, quorum esse est ad aliud se habere*.

Hinc patet disparitas manifesta, propter quam potentia, scientia, & intellectio creata sint relatiua; potentia, scientia, & intellectio diuina sint omninò absoluta. Ratio est, quia potentia creata, e. g. potentia ambulandi, habet esse ad ambulationem vt possibilem; sed ambulatio vt possibilis habet esse possibilis per denominationẽ à diuina omni-

po-

potentia, adeoque distinctum à potentia ambulatiua, ergo potentia ambulandi habet esse connexum cum alio esse: proportionaliter scientia, & intellectio creata respicit obiectum scibile, & intelligibile scibilitate, & intelligibilitate distincta, & causante scientiam, & intellectionem creatam; ergo habent esse connexum cum distincta cognoscibilitate, & scibilitate obiecti.

Potest quęri, vtrum Deus habeat esse relatiuum ad creaturas, vt existentes?

Respondeo, quod si decreta Dei complentur per aliquid extrinsecum Deo, totum esse intrinsecum Deo est omninò absolutum, cum non sit intrinsecè connexum, cum vlla creatura, sed possit remanere sine qualibet creatura: Si decreta complentur per aliquid intrinsecū Deo, dico iuxta principia illius sententiæ, quod totum esse reale, & perfectiuū Dei secundum se præcisè est omninò absolutum; at esse purè denominatiuum terminationum, per quas complentur decreta, est connexum cum creaturis existentibus, adeoque relatiuum.

Dico secundo; probabile est, quod esse ab alio, seu relatio ad causam identificetur omninò cum esse per se subtantiæ, & cum esse in alio cęterorum præ-

di-

dicamentorum. Probatur, quia prima differentia, per quam quodlibet esse creatum differt ab esse diuino, identificatur omninò cum quolibet esse creato; sed talis prima differentia est esse ab alio, cum esse diuinum sit à se; ergo cum quolibet esse creato identificatur esse ab alio; ergo quodlibet esse creatū per se ipsum est ab alio, adeoque habet secum identificatam relationē ad primā causam. Ne dicas, quod prima differentia entis creati est esse finitum, ex qua consequitur vt sit pendens à causa; nam ideò esse creatum est esse finitum, quia finitur, ac limitatur à causa, à qua est; cum è conuersò diuinum esse sit infinitum, quia est à se, adeoque à nulla causa potest limitari, ac finiri; ergo hoc, quod est, *esse ab alio*, non potest esse differentia consequens ad esse finitum, sed vel antecedens, vel identificata. Confirmatur, quia sicut accidens, & substantia differunt per hoc, quod substantia est ens per se, accidens ens in alio, sic *Deus*, & creaturę differunt, quod Deus est ens à se, creaturæ sunt ens ab alio; ergo sicut accidens per se ipsum est entis ens, & est ordinatum ad subiectum, sic creaturæ per se ipsas sunt ens ab ente, & ordinantur ad causam.

Hinc

Hinc ſequitur, quod omnes creaturæ per ſe ipſas ſint relatiuę ad omnes alias creaturas vt poſsibiles. Ratio eſt, quia habere relationem ad poſſibilitatem rei eſt habere relationem ad rem poſſibilē, vt poſſibilem; ſed omne ens creatum per ſe ipſum eſt relatiuum ad Deum, qui eſt poſſibilitas omnium rerum; ergo omne ens creatum eſt relatiuum ad omne aliud ens, vt poſſibile poſſibilitate identificata cum Deo.

Dico tertio; probabile eſt, quod cum entibus aliorum prędicamentorum idētificentur relationes non ſolum ad Deū, & ad alias creaturas, vt poſſibiles, ſed etiam ad quædam entia creata, vt exiſtentia. Probatur, nam cognitio intuitiua per ſe ipſam eſt cognitio obiecti, vt exiſtentis; ergo identificatur cum aliqua relatione ad obiectum vt exiſtens; ſed cognitio intuitiua eſt qualitas; ergo aliqua relatio ad obiectum creatum, & exiſtens identificatur cum aliqua qualitate. Et quia omnes ſenſationes ſunt actus intuitiui, ideò omnes ſenſationes per ſe ipſas ſunt relatiuæ ad ſenſibile, vt exiſtens. Actio etiam, & paſsio per ſe ipſas ſunt huius agentis, & huius termini; ergo identificantur cum ordine ad agens, & terminum.

Hinc infertur dari relationes tran-

ſcendentales, hoc eſt identificatas cum entibus aliorum prędicamentorum. Relationes enim, per quas actio, & paſsio referuntur ad agens, & terminum, ſunt identificatę cum prędicamentis actionis, & paſsionis; relatio, per quã cognitio refertur ad obiectum eſt idem cum aliqua qualitate; relatio per quam ſubſtantię creatæ ſunt ab alio identificatur cum prædicamento ſubſtantię. An præter relationes tranſcendentales, dẽtur prædicamentales, quæ ſint accidentia non identificata cum vllo alio prædicamento, adeoque conſtituentia prædicamentum ſpeciale relationis examinandum eſt quæſt. ſequenti.

Dico quarto; probabile eſt etiam, & conforme doctrinę Ariſtotelis, Sancti Auguſtini, S. Thomę, & aliorum, quod ſubſtantia creata ſit omninò abſoluta, nec relatiua ad vllum extrinſecum. Probatur primo adducendo authoritates authorum citatorum. Ariſtoteles in ſecunda parte cap. de relatiuis ſupponit, quod ſubſtantię completæ non ſint relatiuæ per ſe ipſas, & vt ſaluet ſubſtantias etiam incompletas, e. g. caput, manus &c. non eſſe relatiuas per ſe ipſas, mutat definitionem relatiuorum allatam ab antiquis. Licet autem capite de relatiuis tradat hanc doctrinam cum aliquo

dubio

dubio, tamen libro decimoquarto metaphyſicę, textu quarto, aſſerit ſine vlla dubitatione ſubſtantias, etiam partiales non eſſe relatiuas per ſe ipſas. Cum enim retuliſſet ſententiam antiquorum, qui dicebant elementa, ſeu partes, ex quibus componitur ſubſtantia eſſe magnum, & paruum, arguit, quia elemēta ſubſtantię non poſſunt eſſe non ſubſtantia, ac poſteriora ſubſtantia; ſed magnum, & paruum relatiuum ſunt relatiua, ac proinde non ſubſtantia, ſed poſteriora ſubſtantia; ergo elementa ſubstantiæ non poſſunt eſſe magnum, & paruum. Concludit; *nihil enim eſt magnum, vel paruum, vel omninò ad aliquid, quod non aliquid aliud exiſtens ad aliquid ſit*; ergo ſecundum Ariſtotelem ſubstantia ita eſt ad aliud, vt ſit aliquid aliud abſolutum, præter hoc, quod est, *eſſe ad aliud*, ac proinde non est relatiua per ſe ipſam, ſed per relationem diſtinctam. Conſonat Sanctus Auguſtinus de Trinitate lib. 5. capite quinto, & libro ſeptimo, capite primo, ponens hoc axioma, tanquam per ſe notum; *omnis res, quæ relatiuè dicitur eſt aliquid aliud excepto relatiuo*. Idem ex Sancto Auguſtino docet Sanctus Thomas quarto cōtra gentes, cap. 14 prima parte, qu. 28. artic. 2. ad ſecundum, vbi aſſerit,

quod id, *quod inuenitur in creaturis, præter id quod continetur ſub ſignificatione nominis relatiui eſt alia res*, cum in Deo nō ſit alia res, quia diuina eſſentia [illegible] eadē res, ac diuinæ relationes.

Secundo probatur ratione deſumpta ex allatis authoribus. Videtur enim per ſe notum, quod ſicut *eſſe in alio*, quod eſt eſſe proprium accidentis ſemper fundatur in *eſſe per ſe*; quod eſt proprium ſubſtantiæ, ſic *eſſe ad aliud*, quod eſt proprium relationis, fundatur in eſſe abſoluto, ideoque eſt axioma commune, quod omne relatiuum fundatur in aliquo abſoluto, quod axioma inſinuatur ab Ariſtotele, & à Sancto Auguſtino locis allegatis; ſed ſi relatio identificaretur cum ſubſtantia, eſſe relatiuum non fundaretur in vllo abſoluto, nam eſſe ſubſtantiale eſt eſſe primum: & non fundatum in alio eſſe priori; ergo relatio non poteſt identificari cum ſubſtantia; ergo nulla ſubſtantia poteſt eſſe relatiua per ſe ipſam. Confirmatur primo, quia ex debilitate *eſſe in*, quod eſt proprium accidens oritur, vt debeat fūdari in ſubſtantia, & non poſſit cum ſubſtantia identificari; ſed *eſſe ad*, eſt adhuc debilius quam, *eſſe in*, ex doctrina citatorum authorum; ergo multo magis debet fundari in ſubſtantia, ac proinde

non

non potest identificari cum substantia, quę non fundatur in alio esse, sed fundat alia esse. Confirmatur secundo, quia etiam in Deo esse relatiuum Patris, Filii &c. fundari debet in esse absoluto diuinæ essentiæ, cum quo licet identificetur realiter, non identificatur omnimodè; ergo multo minus in creatis esse relatiuum potest non fundari in aliquo absoluto aliqualiter distincto obiectiuè. Confirmatur tertio, quia omnis relatio definitur per additamentum ponendo in definitione terminum; sed substantia debet definiri sine vllo additamento, vt dictum est quæst. 37. ad primum; ergo substantia non identificatur cum relatione, sed est ens omninò absolutum.

Dico quinto; probabile etiam est ex doctrina eorundem authorum relationẽ non identificari omnimodè cum vllo ex prædicamentis accidentium, adeoque in hoc sensu non dari relationes transcendentales, hoc est identificatas cum aliis prędicameniis. Probatur primo, quia cum Aristoteles cap. de quali, obiecisset sibi quod scientia, & quædam aliæ qualitates sunt relatiuę, conatur saluare, quod secundum se sint entia omninò absoluta; ergo inclinat in hanc opinionem, quod relatio non identificatur cũ qualitate, & aliis prædicamentis. Secun-

cundo Aristoteles, Auerroes, Sanctus Thomas & alii dicunt relationem, quia habet esse debilissimum esse posteriorē ceteris prædicamentis, etiam accidentium; sed non esset posterior, si identificaretur; ergo non identificatur. Verba Aristotelis 14 metaphysicæ, textu 4. sūt *ad aliquid minimè omnium prædicamentorū natura quædam est, ac posterior cum quali, tum quanto &c;* idem docet S. Thomas 4 contra gentes cap. 14. verbis allegandis quæst. 53. in resp ad 5. Tertio Aristoteles, & Sanctus Thomas, & plerique antiqui non distinguunt relationes transcendentales à prędicamentalibus, sed promiscuè cum Aristotele omnes respectus ponunt in prædicamento relationis; ergo non ponunt relationes transcendentales, hoc est identificatas cum aliis prędicamentis. Quia tamen Aristoteles in hac quæstione, quam dicit esse valde difficilem fuit dubius, vt videre est in fine capitis de relatiuis, nec ego audeo quidquam determinare, sed solum problematicè propono vtramque sententiam.

Ad primum, in quantum probat essentiam diuinam esse relatiuam per se ipsam, patet ex dictis conclusione prima; in quantum ostendit substantiam creatam per se ipsam esse relatiuam ad

Deum

Deum, respondeo non valere hanc consequentiam; substantia creata non est per se ipsam ens à se; ergo per se ipsam est ab alio; nam non esse per se ipsam ens à se, est non habere identitatem cū hoc quod est, *esse à se*; ex eo verò, quod non habeat talem identitatem, non sequitur quod habeat identitatem cum hoc, quod est *esse ab alio*, potest enim neutram identitatem habere, eo pacto quo homo neque habet identitatem, cū hoc, quod est, *esse sapientem*, neque cū hoc, quod est *non esse sapientem*. Substātia igitur creata, e. g. homo, non est per se ipsam ens à se, quia non solum non identificatur cum independentia ab alio, sed de facto dependet ab alio; neque per se ipsam est ens ab alio, quia licet dependeat à Deo, dependet dependentia, à qua distinguitur hominis substantia. Si verò quęratur, quid homo sit per se ipsum, dico, quod est tale ens limitatum, & finitum, quod dependet ab alio per dependentiam distinctam.

Instant, quia prima differentia, per quam ens creatum differt ab increato est *esse ab alio*; sed prima differentia identificatur cum re; ergo &c. Respondeo, distinguo maiorem; prima differentia relatiua, concedo; prima absoluta, nego. Omnis differentia relatiua fun-

datur in aliquo absoluto, & illud præsupponit. Cum igitur hoc, quod est, *esse ab alio*, sit differentia relatiua creaturæ à Deo, prçsupponit creaturam differre à Deo in suo esse absoluto. Differt verò creatura in suo esse absoluto per hoc, quod Deus est ens omninò illimitatum, creatura est ens limitatum, & hoc esse limitatum est fundamentum relationis dependentię à Deo. Licet verò creatura ideò sit limitata, quia pendet à causa, non sequitur, quod in suo esse absoluto constituatur per hoc, quod est *dependere*, sed quod suum esse absolutum, & limitatum habeat à causa, dante creaturæ esse limitatum, ac per tale esse limitatum eam constituente, quod esse refertur ad causam per dependentiam distinctam. Præterea, licet accidens possit primo cōstitui per hoc, quod est, *esse in alio*, substantia non potest primo constitui per hoc, quod est *esse ab alio*. Ratio est, quia cum accidens fundetur in substantia, ipsum eius esse potest fundari in substantia: at substantia, quia non fundatur in alio esse, non potest constitui *per esse ad*, quod fundari debet in alio esse.

Vrgent; licet substantia creata non sit ipsa dependentia ab alio, tamen exigit talem dependentiam, & est ipsa exigen-

gentia talis dependentiæ; sed ipsum exigere est prædicatum relatiuum; ergo substantia constituitur per prędicatum relatiuum. Respondeo, concedo, quod exigat, sed nego quod sit ipsa exigentia. *Dico* enim, quod substantia dicitur exigere dependentiam per hoc, quod sit illud ens absolutum, in quo tãquam in fundamento exigit esse dependentia à Deo; ergo substantia denominatur, exigens dependentiam, per hoc, quod dependentia distincta exigat esse in ipsa. Sicut verò substantia refertur ad Deum per relationem distinctam, sic refertur ad creaturas, vt possibiles per relationem distinctam.

Ad 2. Dico quod substantiæ creatæ cognoscitiuæ sunt cognoscitiuę, non per se ipsas, sed per potentias cognoscitiuas distinctas, ideoque referuntur ad obiecta per potentias distinctas, & non per se ipsas. Si vrgeatur, quia substantiæ saltem exigunt potentias cognoscitiuas. Respondeo, quod exigunt per hoc, quod sint illud absolutum, in quo tanquam in subiecto, & fundamento exigunt esse potentiæ cognoscitiuæ, vt dictum est paulo antę.

Potest esse difficultas, quia materia per se ipsam est potentia ad formam, forma per se ipsam est actus materię;

ergo per ſe ipſas ſunt mutuò relatiuæ. Reſpondeo concedo antecedens, & nego conſequentiam. Relatio enim est *eſſe ad extrinſecum*; at materia est potentia ad formam, tanquam ad ſuum intrinſecum perfectiuum, forma est actus materiæ, tanquam ſui extrinſeci perfectibilis; ergo non habent per ſe ipſas eſſe relatiuum ad extrinſecum, de quo ſolo procedit quæstio.

Ad 3. Cognitiones, & alii actus intentionales ſunt qualitates abſolutę perfectiuæ animę, quæ referuntur ad obiecta per hoc, quod in ipſis, tanquam in ſubiectis exigunt eſſe, & de facto ſunt relationes intentionales ab obiecta. Si ergo quęratur, quid ſit e. g. cognitio domus. Reſpondeo, quod vt ſæpè docet Aristoles, cognitio domus est quædam domus intentionalis, & extra materiam. Sicut igitur domus realis existens in materia est ens abſolutum, ſic domus intentionalis, & extra materiam est ens abſolutum; & ſicut in duabus quantitatibus abſolutis fundatur relatio realis æqualitatis, vel inæqualitatis, ſic in domo in materia, & in domo extra materiam, fundatur relatio intentionalis, per quam domus intentionalis refertur intentionaliter ad domum realem. Idem dic de aliis actibus intentionalibus.

Ad

Ad 4. Etiam actio est accidens abso-
lutum agentis, in quo accidente essen-
tialiter exigit dari relatio ad terminũ
& passio est accidens absolutum termi-
ni, in quo exigit dari relatio ad agens.
Iuxta igitur hanc doctrinam, omnes
relationes sunt merè prędicamentales
spectantes ad solum prædicamentum re-
lationis, nulla verò datur relatio tran-
scendentalis, hoc est identificata
cum entibus aliorum predicamento-
rum.

Vtrum relationes prædicamentales coexistentiæ &c. sint accidentia modalia intrinseca subiectis, ac dependentia à terminis. Quæstio LIV.

VIdetur vera sententia Nominaliũ, ac plurium recentiorum, quod relationes prędicamentales coexistentię, paternitatis, filiationis, similitudinis, dissimilitudinis, ęqualitatis, inęqualitatis, &c. non sint accidentia intrinseca subiecto, sed vel identificentur cum solo subiecto, seu fundamento, vel con-

notent existentiam termini; 1. quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi relationes, quæ sint accidentia intrinseca fundamento; ergo &c. Confirmatur, quia si Petrus, & Paulus nunc existant, eo ipso coexistunt secluso quolibet alio accidente; ergo relatio coexistentię inter Petrum, & Paulum non consistit in vllo accidente superaddito, sed solum consistit in hoc vt, vterque existat.

2. Posset Deus ponere existentiam hodiernam Petri, & existentiã hodiernam Pauli, & impedire ne resultarent hęc accidentia distincta; sed in hoc casu adhuc coexisterent; ergo vt res coexistant non requiruntur talia accidentia distincta.

3. Non minus Deus coexistit creaturis, quam creaturę coexistant Deo, & aliis creaturis; sed hoc quod est Deum coexistere creaturis non importat vllum accidens intrinsecum Deo; ergo coexistentia nec importat accidens intrinsecum creaturis.

4. Si relationes coexistentiæ essent accidentia intrinseca superaddita subiectis, etiam relationes prioritatis, & posterioritatis essent accidentia superaddita, e. g. prioritas, per quam ego sum

prior

prior Antichristo, & posterioritas, per quam sum posterior Iulio Cęsare, essent accidentia superaddita mihi; sed hoc est absurdum; ergo &c.

5. Tales relationes deberent multiplicari ad multiplicationem terminorũ; ergo tot essent in me relationes coexistentię, vel posterioritatis, quot sunt entia, quibus coexisto, vel sum posterior; ergo dantur in me innumerabiles relationes. Confirmatur, quia non possunt in eodem subiecto dari plura accidentia eiusdem speciei; e. g. non potest idem subiectum esse album pluribus albedinibus eiusdem speciei; sed darentur in eodem subiecto plures coexistentię eiusdem speciei, vtpotè respicientes terminos eiusdem speciei; ergo &c.

Sexto ideò Petrus, & Paulus e. g. coexistunt per coexistẽtiam distinctam, quia possunt non coexistere; sed etiam relatio coexistentię per quam Petrus coexistit Paulo potest non coexistere coexistentiæ, per quam Franciscus coexistit Ioanni; ergo etiam tales relationes coexistunt per coexistentiam distinctam; de hac coexistentia redit difficultas, cum ita coexistat pluribus entibus, quæ sunt in Mundo, vt possit non coexistere; ergo etiam illa coexistit pluribus

bus entibus per coexiſtentiam diſtinctam, de qua redit argumentum; ergo quęlibet relatio fundat aliam relationẽ, ergo datur proceſſus in infinitum in relationibus, ac dantur infinitæ relationes.

7. Non poteſt explicari, quodnam ſit fundamentum proximum relationis coexiſtentiæ; ſi enim dicitur quod ſunt duæ coexiſtentiæ, contra eſt, quia ipſa dualitas includit relationem, qua vna exiſtentia refertur ad aliam; ergo relatio coexiſtentię fundatur in alia relatione, quod eſt abſurdum; relatio enim fundatur in abſoluto, & non in relatiuo.

8. Non poteſt aſsignari ſubiectum, in quo recipiatur relatio æqualitatis, e. g. cum trabs eſt æqualis alteri trabi, ęqualiter recipiturne in tota trabe, & in omnibus eius partibus, vel in aliqua ſolum parte? Similiter cum decem homines ſunt æquales numero decem canibus, hęc æqualitas recipiturne in omnibus, & ſingulis hominibus, vel in aliquo homine tantum? quidquid enim dicatur eſt difficile.

9. Non poteſt aſsignari cauſa productiua relationis. Cum enim de nouo naſcitur flos in India, quæ cauſa producit in me relationem coexiſtentiæ ad talem

talem florem? si dicas quod causa productiua relationis est fundamentum determinatum à positione termini tanquã à conditione, contra est, quia nulla causa potest determinari ad effectum de nouo producendum à conditione distantissima, quia dari non potest actio in distans; sed flos ortus in India est distantissimus à me; ergo &c.

10. Ex Aristotele 5. phys, Tex. 10. & 14. Met. Tex. 4. ad relationem non datur motus: sed si relatio esset forma accidentalis intrinseca fundamento daretur motus, quo relatio produceretur de nouo ad positionem termini; ergo &c. Et confirmatur, quia S. Thomas opusculo 58. quod est de prędicamentis cap. 3. ex hoc loco Aristotelis probat relationem non superaddere fundamento aliud, quam terminum extrinsecum.

11. Non potest explicari, vtrum terminus formalis relationis sit aliquod absolutum, vel relatiuum, e. g. an terminus paternitatis sit entitas absoluta filii, an potius entitas filii, in quantum per filiationem refertur ad patrem.

12. Nec potest etiam explicari, quodnam sit summum genus in prędicamento relationis, ac quænam sint alia genera, & species subalternę.

Re-

Respondeo, quod in hac quæstione primo explicandum, quid sit fundamẽtum remotum relationis, quid ratio fũdandi, quid fundamentum proximum. Secundo examinandum vtrum relatio coexistentiæ sit accidens modale, vel reale intrinsecum fundamento. Tertio, in etiam relationes prioritatis, & posterioritatis sint accidentia modalia vel realia. Quarto, vtrum aliæ relationes prædicamentales possint explicari per relationes coexistentiæ, & posterioritatis.

Quo ad primum: fundamentum remotum relationis est id, quod habet denominationẽ relatiuam ratione alterius; e. g. fundamentum remotum coexistentiæ est id, quod alteri coexistit; fundamentum paternitatis est homo, qui denominatur pater. Ratio fundandi est illud, ratione cuius subiecto conuenit denominatio relatiua, e. g. generatio, qua pater generauit filium est ratio fundandi paternitatem; durationes per quas Petrus, & Paulus nunc existunt, constituunt rationem fundandi coexistentiam mutuam; albedines, quibus duo parietes sunt albi constituunt rationem fundandi mutuam ipsorum similitudinẽ. Fundamentum proximum est ipsum fundamentum remotum, prout sumitur cũ

ra-

ratione fundandi; e. g. Petrus, vt nunc existens est fundamentum proximum coexistentię, qua coexistit aliis rebus nunc existentibus; Petrus in quantum generauit filium est fundamentum proximum paternitatis.

Quo ad secundum; dico primo, coexistentia, qua creaturæ coexistunt inuicem non identificatur cum solo fundamento proximo. Probatur, quia cum vnũ potest esse sine alio, illud aliud non est hoc solum, quod potest esse sine illo; e. g. quia Petrus potest esse, quin sit musicus, esse musicum non solum Petrus, sed addit supra Petrum musicam distinctam, idemque dic de aliis; Et ratio est, quia idem non potest esse sine seipso; ergo si potest esse sine altero, illud alterum non est solum ipsum, alioquin posset esse sine se ipso; sed Petrus potest nunc existere, & non coexistere Paulo; si enim Paulus non existat, Petrũ nunc existens non coexistit Paulo; ergo Petrum coexistere Paulo, non est solum Petrum nunc existere; ergo coexistentia addit aliquid supra fundamentum proximum.

Dico secundo; coexistentia in creaturis est accidens modale adęquatè intrinsecum subiecto, ac distinctum à parte rei à fundamento, termino, & ratione

tione fundandi ; e. g. coexistentia , per quam ego coexisto Petro est accidens intrinsecum mihi , & distinctum à me , & à mea existentia , ac duratione , qua nunc existo , & à Petro , cui coexisto .

Probatur primo ex auctoritate Aristotelis , & veterum philosophorum , ac scholasticorum ; nam dum Aristoteles cum philosophis docet dari relationes , quas Zeno negabat , vt testatur, Albertus Magnus , & dum omnes scholastici propugnant relationes contra Ocamum Principem Nominalium, qui Zenonem sequutus sustulit prædicamentum relationis , proculdubio relationes ponunt in eo sensu, in quo negabantur à Zenone , & Ocamo ; sed non est verosimile Zenonem, & Ocamum aliud negasse , quam accidentia totaliter intrinseca fũdamentis , & contradistincta à fundamento , termino , & ratione fundandi , ergo Aristoteles , & scholastici ponunt talia accidentia. Minor probatur, quia quis credat Zenonem , dum negauit dari relationem coexistentię, negasse coexistentiam consistentem in hoc , vt illa plura existerent eodem tempore , cum talis coexistentia negari nequeat ab homine sanę mentis ? ergo negauit solum coexistentiam , quę sit accidens superad-

peradditum rebus coexistentibus; ergo hanc coexistentiam posuerunt Aristoteles, & scholastici. Confirmatur, quia Aristoteles 14. metaphysicæ, textu tertio, & alibi docet quod *ad aliud minimè omnium prædicamentorum natura quædam est, ac posterior tum quanto, tum quali &c.* ex quo desumpserunt Auerroes, & alii, quod relatio habet esse debilissimum inter omnia prædicamenta, ac fũdatum in esse aliorum prędicamentorũ; ergo putauerunt esse relationis prędicamentalis esse debilissimum, ac fundatum in aliis prædicamentis, quæ verificari non possunt, nisi relatio prædicamentalis distinguatur à reliquis prędicamentis. Ideò in ponenda relatione distincta pręter alios innumeros consenserũt etiam Sanctus Thomas, & Scotus, quos sequuntur Thomistæ, & Scotistæ.

Probatur secundo ratione, quia vt vnum obiectum referatur intentionaliter ad aliud, e. g. Petrus ad Paulum, non sufficiunt duæ cognitiones absolutę, quibus dicam *Petrus*, *Paulus*, sed requiritur cognitio comparatiua indiuisibilis, per quam Petrus comparetur cũ Paulo; ergo vt duo entia referantur realiter per relationem coexistentię, non sufficiunt duæ existentię absolutę, per quas Petrus existat, Paulus existat,

sed

ſed requiritur vnica coexistentia indiuiſibilis, quæ ſit forma, per quam Petrus coexiſtat Paulo, & referatur ad ipſum; ordo enim intentionalis, & ordo realis debent mutuò proportionari. Confirmatur, quia ex iis, quę ſunt in nobis, & ſunt magis nota, debemus diſcurrere de iis, quæ ſunt extra nos, & ſunt minus nota; natura enim constituit hominem quodammodo omnia, vt haberet in ſe ipſo principia diſcurrendi de omnibus; ſed experimur, quod vnum obiectum non poteſt intentionaliter referri ad aliud, niſi per vnicam cognitionem indiuiſibilem; ergo debemus arguere, quod vnum ens non poteſt referri realiter ad aliud, niſi per vnicam coexiſtentiam indiuiſibilem. Confirmatur ſecundo, quia ſicut, vt ego affirmem Petrum & Paulum ſimul existere, non ſufficit, vt dicam, *Petrus exiſtit, Paulus exiſtit*; ſed debeo addere copulam. & dicens, *Petrus exiſtit, & Paulus exiſtit*, quæ copula ſignificat ſimultatem, ſic ad hoc, vt Petrus, & Paulus coexiſtāt, non ſufficit exiſtentia vtriuſque, ſed requiritur coexiſtentia, ſeu ſimultas correſpondens copulæ, & cum ſit obiectiua connexio, & copula exiſtentium.

Tertio probatur, quia cum plura, quę poſ-

possunt facere vnum, & non facere vnũ de facto faciunt vnum, faciunt vnum non pluribus, sed vno, quod non potest esse, quin illa faciant vnum, & ita est vltima forma, & actualitas vnius; e. g. quia corpus, & anima possunt facere vnum, vel non facere vnum, faciunt vnum per vnam vnionem, quæ non potest esse, quin corpus, & anima faciant vnum hominem. Similiter partes continui, quę possunt facere vnum, vel non facere vnum, faciunt vnum vno indiuisibili continuatiuo, quod esse non potest, quin faciat vnum, vt dicetur in physica suis locis; sed partes vniuersi possunt facere vnum, vel non facere vnum: ergo faciunt vnum aliquo vno, quod non potest esse, quin faciat vnum vniuersũ: hoc vnum est coexistentia, qua quælibet pars coexistit omnibus aliis; ergo coexistentia non consistit in innumerabilibus existentiis, quę sunt in mundo, sed in aliquo vno, & indiuisibili. Proportionaliter igitur, ac materia, forma, & partes continui sunt vnum totum, partes vniuersi sunt vnum vniuersum, licet materia, & forma, & partes continui faciant vnum vnitate non puri ordinis, sed vnitate communicationis intrinsecę, per quam materia & forma, & partes continui mutuò se communicant intrinsecè:

seccè; partes verò vniuersi faciunt vnum vnitate solius ordinis, per quem ita vna pars coexistit alteri coexistentia, quæ sit vnum, vt non communicetur alteri intrinsecè. Hinc est, vt mundus sit vnus vnitate solius ordinis, sicut exercitus; cum compositum ex materia, & forma, vel ex partibus continuis fit vnum vnitate communicationis intrinsecę.

Quarto probatur, quia relatio coexistentię ponit in rebus pulchritudinem, & perfectionem contradistinctam à perfectione, & pulchritudine entitatum absolutam; sed quod ponit distinctam perfectionem, & pulchritudinem, ponit distinctam entitatem, quia perfectio, & pulchritudo necessario est entitas; ergo relatio coexistentiæ ponit in rebus entitatem distinctam ab entitate rerum absolutarum. Probatur maior: si relatio coexistentię non poneret in rebus pulchritudinem, & perfectionem distinctam à perfectione absoluta, quantum cresceret perfectio absoluta, tantum cresceret relatiua, & quantum decresceret perfectio absoluta, tantum decresceret relatiua, nec plus, nec minus; sed hoc est falsum; ergo &c. Minor probatur; nam primo aliquando addita minima perfectione absoluta, perfectio relatiua ordinis & proportionis inter

partes

partes euadit maxima; ergo illa pulchritudo maxima proportionis non consistit solum in minima perfectione absoluta. Secundo aliquando augetur maximè perfectio absoluta, & tamen perfectio relatiua consistens in proportione non crescit, sed diminuitur, & mutatur in quamdam deformitatem, e. g. si in aliqua facie pulchra augeatur pulchritudo absoluta vnius oculi, tollitur pulchritudo relatiua faciei, & facies illa euadit turpis & deformis propter inæqualitatẽ oculorum; ergo illa pulchritudo relatiua, quæ amittitur, distinguebatur à pulchritudine absoluta partium, quæ tota remanet & augetur. Tertio implicat, vt res euadat simpliciter pulchrior per hoc, quod nihil addatur pulchritudinis, sed solum auferatur aliquid pulchritudinis, sicut non potest aliquid euadere magis album per solam diminutionem albedinis, quam ante habebat; sed si facies sit parum pulchra, eo quod vnus oculus sit pulchrior alio, pręcisè per hoc, quod illi oculo auferatur illa maior pulchritudo, & nihil addatur pulchritudinis absolutę, talis facies euadit simpliciter pulchrior; ergo ideò quia auferendo pulchritudinem absolutam, additur noua pulchritudo relatiua consistens in proportione, & ordine partium. Potest
hoc

hoc idem argumentum aliis modis vrgeri . .

Opponunt ; perfectio absoluta est fundamentum relatiuę ; sed est absurdum , quod perfectio augeatur, minuendo fundamentum perfectionis ; ergo etiam in nostra sententia sequitur absurdum simile illi , quod obiecimus aduersariis.

Respondeo, distinguo maiorem; perfectio absoluta secundum se præcisè sumpta est fundamentum relatiuæ, nego; perfectio absoluta sumpta cum quadam mensura , concedo ; distinguo eodem pacto minorem;& nego consequentiam. Quando fundamentum alicuius perfectionis non est res vtcumque , sed res cum certa mensura , aucto fundamento , adeoque ablata tali mensura , perfectio fundata destruitur ; ita quia fundamentum vitę , & sanitatis est calor vitalis , cum certa mensura , aucto calore per febrim destruitur vita , & sanitas animalis . In casu nostro , fundamentum perfectionis , & pulchritudinis relatiuæ est perfectio absoluta partium, cum quadam mensura , ideoque aucta perfectione absoluta potest minui , & auferri relatiua ; at si remanet , & augetur tota perfectio rei , quo pacto res potest euadere minus perfecta, ac minus pulchra ?

Quo

Quo ad tertium, quidam Thomistę censent tum relationem prioris ad posterius, tum relationem posterioris ad prius, esse relationes rationis, & importare denominationes purè extrinsecas prioris ab eo, quod sequitur, & posterioris ab eo, quod pręcessit; e. g ego sum prior Antichristo per denominationem extrinsecam ab Antichristo sequuturo, & sum posterior Iulio Cęsare per denominationem à Iulio Cęsare pręcedente. Alii docent vtramque relationem esse realem, & intrinsecam. Dicendum cum media sententia: relatio posterioris ad prius est realis, & consistit in posterioritate intrinseca rei posteriori; relatio prioris ad posterius est rationis per denominationem extrinsecam, per quam prius denominatur à posterioritate intrinseca rei posteriori.

Probatur, quia ordo prioris, & posterioris addit rebus pulchritudinem, & perfectionem, vt patet in motu Cœli ordinatissimo, in sonis, & saltibus, quorum perfectio præsertim consistit in hoc, vt post vnum motum, aut sonum sequantur alii consonantes pręcedentibus; sed quod addit nouam pulchritudinem ordinis, addit entitatem distinctam: ergo ordo prioris, & posterioris

addit entitatem distinctam; sed talis ordo, & relatio dari non potest in re priori, sed solum in posteriori; ergo non datur in re priori relatio intrinseca prioritatis, sed datur in posteriori relatio intrinseca posterioritatis. Probatur assumptum; nam res naturaliter loquendo nullam perfectionem, aut pulchritudinem possunt accipere ab aliquo futuro, quod non est, sed erit, eo pacto, quo non potest terra fœcundari de pręsenti à pluuia futura; è conuersò potest res accipere perfectionem, & pulchritudinem à re præterita, eo pacto, quo potest terra de præsenti esse fœcunda propter pręteritas pluuias; sed si Iulius Cæsar e. g. habuisset intrinsecam relationem prioritatis ad me, accepisset perfectionem ordinis ab aliquo futuro; ego verò ex eo, quod habeam ordinem posterioritatis ad Iulium Cæsarem, accipio perfectionem ordinis ab aliquo præterito; ergo &c. Si verò quæratur, quo pacto propagata fuerit vsque ad me relatio posterioritatis ad Iulium Cęsarem, qui tanto tempore præcesit, respondeo, quod talis relatio propagata fuit eodem pacto, quo propagata fuit memoria illius. Sicut enim ipse, & eius gesta reliquerunt memoriam sui, quæ est quædam relatio, & posterioritas intentionalis, sic

ſic reliquerunt relationem ſui, quæ eſt quædam memoria non intentionalis. Hinc est, vt tota rerum præteritarum historia deſcripta remaneat in natura per relationes impreſſas entibus, ita vt ſi nunc de nouo poneretur intellectus, cui Deus infunderet ſcientiam percipiendi relationes, poſſet in iis legere omnia præterita. In die Iudicii, ſicut aperientur libri conſcientiarum, ita vt in cuiuſque conſcientia & memoria lecturus ſit vnuſquiſque quæ geſſit quilibet alius, ſic aperientur etiam libri relationum, & omnia entia diuina virtute manifestabunt ſuas relationes, per quas testimonium dicent de gestis omnium. In hoc verò ſenſu poſſunt intelligi Scriptura, & Patres dicentes, quod ipſi lapides clamabunt, & omnis creatura testimonium dicet aduerſus impios. Sicut tamen quædam entia ſunt naturaliter ignota, etiam Angelis, cuiuſmodi ſunt ſecreta cordium, ſic relationes ad talia entia ſunt naturaliter ignotæ, licet poſſint diuina virtute reddi manifestę. Hinc confirmatur nostra ſententia. Nam debet explicari, quid ſit fuiſſe, & debet ſaluari, quod remaneat quædam memoria, & historia rerum preteritarum; hęc autem, quæ facillimè explicantur in nostra ſententia, explicari non

possunt in sententia contraria.

Quo ad quartum, dico, quod cęteræ relationes prędicamentales paternitatis, filiationis, &c. explicari possunt per coexistentiam, & posterioritatem. Probatur, nam paternitas est coexistentia, per quam qui genuit filium, adeoque habet relationem posterioritatis ad præteritam generationem, coexistit filio; filiatio est coexistentia, per quam qui genitus est coexistit genitori; identitas est relatio coexistentię inter duo habentia vnam essentiam, seu naturam specificam; diuersitas est coexistentia duorũ non conuenientium in specie; similitudo est coexistentia duorum habentium vnam in specie qualitatem, e.g. duorum alborum; dissimilitudo est coexistentia duorum habentium qualitatem specie diuersam; ęqualitas est coexistentia duorum habentium vnam quantitatem in specie; inæqualitas est coexistentia duorum habentium diuersam quantitatem; indistantia, siue contactus est coexistentia duorum habentium vbicationes, inter quas nihil mediat; distantia est coexistentia duorum habentium vbicationes, inter quas aliquid mediat. Idem dic proportionaliter de aliis.

Infertur omnes istas relationes esse modales. Vt enim dictum est quęst. 30. mo-

modus eſt, quod non poteſt eſſe quin intrinſecè vniatur alteri, quod poteſt eſſe ſine illo; ſed coexiſtentia, per quã ego coexiſto Petro, non poteſt eſſe, quin vniatur intrinſecè mihi, cum ego poſſim eſſe ſine tali coexiſtentia, idemque dic de poſterioritate; ergo coexiſtentia, poſterioritas &c. ſunt modi, ac diſtinguuntur à ſubiecto diſtinctione modali, non autem reali ſtricta.

Ad 1. Iam allata eſt multiplex neceſſitas ponendi relationes diſtinctas. Sed placet examinare principium illud adeò decantatum, non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; licet enim in legitimo ſenſu ſit verum, tamen ſæpè ſumitur in ſenſibus nec legitimis, nec veriſ. Si ergo ſenſus ſit, quod non debemus multiplicare entia ſine ratione probabili, ac ſufficiente fundamento, principium eſt verum; alioquin poſſemus ſomniare cum Democrito alios, & alios Mundos, qui negantur, quia non eſt fundamentum ponendi. Si ſenſus ſit, quod non debemus multiplicare entia ſine ratione demonſtratiua, & omninò conuincente, principium eſt falſum; nã ſicut in aliis, ſic in quæſtione de multiplicatione entiũ ſufficiunt rationes probabiles. Si ſenſus ſit, quod Deus, & natura nihil facit ſuperfluum, & fru-

ſtraneum, hoc eſt non conducens ad finem intentum, principium eſt veriſſimum, & fundatur in euidente inductione, & in natura ſapientis, à quo alieniſſimum eſt operari fruſtra, cum prima cogitatio ſapientis in operando ſit de fine, & vtilitate operis. Si ſenſus ſit, quod natura eſt velut anus quædam auariſſima, quę ponat ſolum purè neceſſaria, principium eſt falſiſſimum, & iniurioſum diuinæ munificentiæ, & liberalitati, & contrarium omni inductioni. Deus enim amauit nos vſque ad delicias, ideoque præter entia purè neceſſaria ad vitam, produxit alia innumera conducentia ad delectationem, & ad pulchritudinem, & ornatum. Non ne enim dedit nobis duos oculos, cum vnus ſufficiat ad videndum? non ne oculis addidit ſupercilia, capiti comam ad ornamentum? non ne produxit ſummam varietatem herbarum, fructuum, colorum, ſaporum? &c. Deſcendendo ad rem noſtram, relationes ſunt vtiles ad ordinem & pulchritudinem vniuerſi. Vt enim docet Ariſtoteles 14. metaph. cap. 3. natura non eſt inconnexa, ſicut vitioſa tragœdia. Sunt pręterea vtiles, vt cuilibet rei ex eo, quod alteri coexiſtat, accedat noua pulchritudo ordinis, & proportionis ad illam. Sicut

enim

enim Architectus sapiens nullam in opere partem ponit, quin ex coexistentia ad illam accedat cęteris partibus noua pulchritudo ordinis, & proportionis, sic Deus, cuius opus est vniuersitas, nullum ens addit vniuersitati, quin ex eius coexistentia adueniat cæteris entibus noua pulchritudo ordinis, & proportionis.

Ad confirmationem, distinguo antecedens; si Petrus, & Paulus existunt, eo ipso coexistunt fundamentaliter, & sine ordine addente vtrique perfectionẽ intrinsecam, concedo; coexistunt formaliter, & cum tali ordine, nego, & nego consequentiam. Coexistentia enim inter entia debet ipsis addere perfectionem, & pulchritudinem ordinis, vt dictum est.

Ad 2. Mayronus Scotista cum aliis paucis putat Deum positis duobus nunc existentibus posse supernaturaliter impedire relationem coexistentię. Alii communiter, quos ego sequor, oppositum censent. Ratio est, quia Deus non potest operari, nisi vt sapiens artifex; sed artifex sapiens in opere semper intendit pręcipuè proportionem, & ordinem partium, qui ordo consistit in relatione; ergo Deus semper intendit ordinẽ, & relationem, ideoque non potest im-

pedire talem ordinem, alioquin faceret opus inordinatum. Si tamen per possibile, vel impossibile impediretur relatio, dico quod res coexisterent fundamentaliter, & sine ordine perfectiuo partium, & non cum tali ordine.

Ad 3. Concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Disparitas est manifesta. Nam ex eo, quod Deus coexistat creaturis, non acquirit vllam nouam perfectionem, & pulchritudinem ordinis, cum vtpotè continens per suam essentiam omnem perfectioné, & pulchritudinem sit incapax nouæ perfectionis, & pulchritudinis. At partes Mundi vtpotè imperfectæ, per hoc ipsum, quod coexistant aliis partibus, perficiuntur, acquirendo nouam pulchritudinem ordinis, & proportionis ad illas. Ideò denominationes creatoris, coexistentis &c. conueniunt Deo, vel per denominationem purè extrinsecam à relationibus, quę dantur in creaturis, vel per relationem rationis, quam intellectus concipit.

Ad 4. De relatione prioritatis, & posterioritatis patet ex dictis in resolutione quęst.

Ad 5. Duæ sũt sententiæ quo ad multiplicationem relationum ad multiplicatio-

nem terminorum. Prima S. Thomæ prima parte, quęſt. 35. art. 5. in corpore, quem ſequuntur Caietanus, Capreolus, Toletus, Ruuius &c. docet relationes non multiplicari ad multiplicationem numericam terminorum; e. g. pater reſpicit omnes filios, quos habet per vnicam paternitatem; paries albus eſt ſimilis omnibus aliis albis per vnicam ſimilitudinem. Secunda Scoti, diſt. 8. quæſt 5. quem pręter Scotiſtas ſequũtur Suarius, Molina, Fonſeca, & alii, docet relationem multiplicari ad multiplicationem numericam terminorum, adeoque in patre tot eſſe paternitates, quot habet filios.

Probabilior videtur ſententia S. Thomæ, atque adeò dicendum, quod entia per vnicam coexiſtentiam coexiſtunt omnibus aliis entibus, & per vnicam poſterioritatem ſunt poſteriora omnibus, quæ præceſſerunt. Ratio eſt, quia vltima pulchritudo operis diuini conſiſtit in ordine, & proportione vnius partis ad omnes alias partes; ſed relatio eſt vltima pulchritudo operis diuini; ergo debet conſiſtere in ordine quodam indiuiſibili, per quem vnaquęque pars certo modo referatur ad omnes alias partes; ergo in vnoquoque dari debet vnica relatio coexiſtentię.

Cum verò in mundo de nouo additur, aut demitur aliquod ens, mutatur hæc relatio, & aduenit alia, ideoque perfectio relatiua rerum non est stabilis, ac permanens, sed est in perpetuo quodam fluxu, eo pacto, quo pulchritudo hominis non est stabilis, sed in perpetuo quodam fluxu, cum alia sit pulchritudo pueri, alia iuuenis, alia senis. &c.

Confirmatur, quia etiam aduersarii dicentes relationem multiplicari ad multiplicationem terminorum ponunt aliquam vltimam relationem, per quam singula entia referantur indiuisibiliter ad omnia alia entia, quæ sunt in mundo, quę proinde est in perpetuo quodam fluxu; sed hęc relatio sufficit ad omnia entia inuicem connectenda; ergo frustra adduntur alię innumeræ relationes, per quarum singulas entia referantur ad vnicum ens. Hinc sequitur talem relationem non posse perfectè cognosci, nisi cognitis omnibus, quę sunt in mundo. Pulchritudo enim consistens in ordine vnius partis ad omnes alias, cognosci perfectè non potest, nisi cognitis omnibus illis partibus. Nec ex hoc sequitur, quod talis relatio coexistentiæ sit ens perfectissimum, quod est contra Aristotelem, Auerroem, S. Thomam, & alios, afferentes relationem esse imper-

perfectissimam, & habere debilissimum esse inter prędicamenta. Nam relatio, propter hoc ipsum, quia est vltimum ens, atque essentialiter dependens in esse, & cognosci ab omnibus aliis entibus, quæ sunt in mundo, habet debilissimum esse, & minimam cognoscibilitatem. *D*ocetid expresse Sanctus Thomas quarto contra gentes, cap. 14. per hęc verba. *Propter quod & relatio substantiæ adueniens, & postremum, & imperfectissimum esse habet; postremum quidem, quia non solum præexigit esse substantiæ, sed etiam esse aliorum accidentium; imperfectissimum verò, quia propria relationis ratio consistit in eo, quod est esse ad alterum; vnde esse eius proprium non solum dependet ab esse substantiæ, sed etiam ab esse alicuius extrinseci.*

Ad *6.* In quæstione, vtrum vna relatio fundet aliam, duæ sunt sententiæ. Prima Thomistarum negatiua. Secunda Scoti in secundo, distinctione prima, quæstione quarta, quam cum Scotistis sequuntur etiam alii, affirmatiua. Probabilior videtur prima sententia, & infertur ex dictis. Nam vnumquodque per vnicam relationem refertur ad omnia entia, quæ sunt in mundo; ergo talis relatio essentialiter coexistit omnibus entibus, quę sunt in mundo, & cõ-

ſequenter omnibus aliis relationibus; ergo omnes relationes, quæ ſunt in mundo, coexiſtunt ſibi inuicem eſſentialiter; ſed ea, quæ coexiſtunt ſibi inuicem eſſentialiter, coexiſtunt ſe ipſis, & non per relationem diſtinctam; ergo coexiſtentiæ non fundant relationem diſtinctam, adeoque non ſequitur proceſſus in infinitum, qui proceſſus nec etiam ſequitur in ſententia concedente, quod vna relatio fundet aliam. Nam demonſtratur, quod licet relationes ſint innumerabiles non ſunt infinitæ, atque adeò nec ſunt quaſi infinitæ, ſi propriè loquamur, quia cum finitum magis differat ab infinito, quam duo diſtent à centum millionibus, minus propriè dicitur de quocumque finito, quod ſit quaſi infinitum, quam dicatur de duobus, quod ſint quaſi centum milliones.

Ad 7. Fundamentum proximum relationis coexiſtentię ſunt duę exiſtentię. Dum opponitur, quia ipſa dualitas includit relationem vnius exiſtentię ad aliam, diſtinguo: dualitas fundamentalis includit relationē formalem nego; dualitas fundamentalis includit relationem fundamentalem, concedo. Dualitas fundamentalis conſiſtit in duabus exiſtentiis antecedenter ad ordinem intrinſecum, quo vna ordinatur ad aliã. hęc

hęc autem dualitas non includit relationem consistentem in tali ordine intrinseco, sed est eius fundamentum. Dualitas verò formalis includit talem ordinem, ideoque includit relationem coexistentię, & per illam constituitur.

Ad 8. Relatio æqualitatis recipitur in subiecto proportionaliter, ac ipsa quantitas, seu magnitudo, in qua fundatur ęqualitas; e.g. quia ęqualitas, qua trabs centipalmaris est æqualis alteri trabi centipalmari, fundatur in magnitudine centipalmari talis trabis, recipitur in trabe, sicut magnitudo centipalmaris. Iam tota magnitudo centipalmaris recipitur in tota trabe; partes talis magnitudinis recipiuntur proportionaliter in partibus trabis; e. g. dimidium magnitudinis in dimidio trabis, tertia pars in tertia parte trabis, &c; sic ęqualitas totius trabis ad totam trabem est coexistentia totius ad totam, & recipitur in tota; coexistentiæ, quibus singulæ partes coexistunt toti trabi, vel eius partibus, non sunt æqualitas totius trabis, sed constituunt partialiter talem æqualitatem, sicut magnitudo recepta in dimidio trabis constituit magnitudinem totius trabis.

Ad 9. Causa productiua relationis est su-

ſubiectum, ſeu fundamentum, exiſtentia verò termini requiritur vt conditio, *ſine qua non*; e. g. ſicut ignis eſt cauſa calefactionis, ſed vt calefaciat requiritur, vt approximetur calefactibili, ſic res exiſtens eſt cauſa coexiſtentiæ, ſed vt producat talem coexiſtentiam requiritur tanquam conditio, quod terminus exiſtat. Dum opponitur, quia cauſa non poteſt determinari ad producendũ effectum à conditione diſtantiſſima; diſtinguo, ad producendum effectum, qui non propagetur in toto medio, tranſeat; qui propagetur in toto medio, nego. Sicut Sol producit lucem diſtantem, dũmodo diffundat illam per totum mediũ, ſic flos exiſtens in India determinat in me relationem diſtantem, ita tamen, vt propagentur relationes in toto medio ſine vlla interruptione. Non poteſt autem dari alius Mundus, vel alia creatura non continuata cum hoc Mundo etiã propter hoc ipſum, quia ſi poneretur, deberet hic Mundus determinari à cõditione diſtante ad producendam relationem coexiſtentiæ non propagatã per medium, vtpotè carens omni ſubſtantia, in qua reciperetur relatio. Porrò iſtam diffuſionem relationum per totum Mundum fateor eſſe mirabilem; ſed non eſt minus mirabilis diffuſio, qua ſol diffun-
dit

dit lucem, quæ non eſt relatio minime entitatis, ſed qualitas perfectiſſima; mirabilior etiam eſt diffuſio, per quam corpora diffundunt ſpecies, &c.

Ad 10. Ariſtoteles negat quidem motum per ſe ad relationem, ſed concedit motum per accidens, cum concludat *quare ſecundum accidens motus horum eſt*. Ratio cur motus, ſeu mutatio ad relationem non ſit per ſe, ſed per accidens, eſt quia cum terra e. g. producit florem in India, intendit productionem ſolius floris, non verò relationem, quę reſultat in me; ergo motus, & mutatio per ſe, & ex intentione cauſarum non datur ad relationem, ſed ad aliquid antecedens, ex quo reſultat relatio. Opuſculum allegatum, ſicut alia plura opuſcula logica, non eſt Sancti Thomæ, ideoque in editione Romana edita iuſſu Pii V. hoc & quędam alia opuſcula ſuppoſititia impreſſa ſunt diuerſis characteribus, vt notat etiam Bellarminus libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

Ad 11. In quæſtione de termino formali relationis tres ſunt ſententię. Prima Caietani, & aliorum, quod terminus formalis relationis ſit oppoſitum correlatiuum: Secunda Scoti in ſecundo, quem præter Scotiſtas ſequitur etiã Suarius diſputatione 47. Metaph. ſect.

17.

17. docet terminum formalem relationis esse aliquid absolutum. Tertia Ferrariensis asserit terminum formalem relationis mutuę esse aliquid relatiuum, relationis non mutuę esse aliquid absolutum.

Ego puto primam, & secundam sententiam discrepare ex æquiuocatione, quia sumunt terminum formalem in diuersa significatione. Dico igitur primo, quod si nomine termini formalis intelligitur ille terminus, qui est simul natura, cognitione, ac definitione cum correlatiuo, terminus formalis est oppositum correlatiuum. Probatur, quia solus filius vt filius est simul natura, cognitione, ac definitione cum patre vt patre; filius verò inquantum homo est prior natura, cognitione, ac definitione, quam pater, vt pater; ergo si terminus formalis est, qui est simul cognitione, est oppositum correlatiuum. Quod si relatio est non mutua, terminus formalis est oppositum, inquantum per denominationem extrinsecam à relatione dicitur relatiuè: e. g. terminus formalis creaturæ est Deus, in quantum dicitur creator per denominationem extrinsecam à relatione existente in creatura.

Dico secundo: si nomine termini formalis intelligitur terminus, qui prior est

est cognitione, quam relatio, & per quem debet definiri relatio, tanquam per aliquid prius] notum, terminus formalis relationis est aliquid absolutum. Probatur, quia correlatiua secundum Aristotelem sunt simul cognitione; ergo si terminus formalis est qui est prior cognitione non est aliquid relatiuum, sed est aliquid absolutum: e. g. paternitas non habet pro termino prius noto filium vt filium, qui est simul cognitione cum paternitate, sed animal generatum, quod est prius cognitione. Adhibita hac distinctione, soluuntur argumenta primæ, & secundę sententiæ; tertia verò est omninò reiicienda.

Ad duodecimum respondeo assignando summum genus relationis, & consequenter alia genera, ac species. Generalissimum genus analogum, ac fortasse transcendens omnia prædicamenta, est *ordo vnius ad aliud*. Diuiditur primo in relationem realem, & rationis. Relatio rationis est, per quam vnum ordinatur, ac refertur ad aliud dependēter ab actu rationis: e. g. relatio prędicati ad subiectum est rationis, quia cum dicitur *Petrus est homo*, relatio prędicati, quam homo habet ad Petrum, pendet ab actu rationis. Tales sunt relationes generū, ac specierum ad inferiora, ac pręterea

omnes

omnes relationes fictę. Relatio realis est ordo, per quem vnum refertur ad aliud à parte rei independenter ab actu rationis, e. g. relatio patris ad filium.

*D*iuiditur secundo relatio realis in prædicamentalem, & transcendentalem. Transcendentalis est, quæ ita refert vnũ ad aliud, vt identificetur cum aliquo alio prędicamento, & potest esse etiam substantialis, si identificetur cum prædicamento substantię. Prædicamentalis est accidens, cuius esse est ad aliud se habere, ita vt non exerceat munus alterius prædicamenti, sed purè referat, & huiusmodi sunt coexistentia, paternitas, &c. Hæc relatio prædicamentalis modo definita est generalissimum genus prędicamenti relationis, inquantum distinguitur ab aliis prędicamentis in sententia concedente relationes transcendentales.

Tertio celebris est diuisio relationum in illa tria genera, quæ enumerantur ab Aristotele 5. met. cap. 15. Primum genus est relationum, quæ fundantur in vnitate, & numero; secundum earum, quę fundantur in actione, & passione; tertiũ earum, quæ fundantur in mensura, & mensurato. In vnitate secundum substantiam fundatur relatio identitatis; in numero siue disconuenientia in substan-

tia

tia fundatur relatio diuersitatis. In vnitate quantitatis fundatur relatio ęqualitis; in disconuenientia quantitatis relatio inæqualitatis; in actione generatiua, per quam pater generat filium, fundatur relatio paternitatis; in generatione passiua, per quam filius generatur à patre, fūdatur relatio filiationis. In mensura, & mensurato fundatur relatio sciētiæ ad scibile, & sensus ad sensibile &c.

Quarto diuiduntur relationes in mutuas, & non mutuas. Relationes fundatę in mensura, & mensurato solent esse non mutuę. Licet enim scientia referatur ad scibile, scibile non refertur ad scientiam. Relationes mutuæ aliæ sunt ęquiparantiæ, quibus nimirum in termino correspondet similis relatio; alię sunt disquiparantiæ, quibus in termino non correspondet similis relatio; e.g. relatio similitudinis est relatio ęquiparantiæ, quia si paries A est similis parieti B, etiam paries B est similis parieti A; at paternitas est relatio disquiparantiæ, quia si Petrus est Pater Francisci, Franciscus non est pater, sed filius Petri.

Vtrum

QVAESTIONES

In libros Perihermermenias de vocum significatione, veritate, & falsitate.

Ordo disputandorum.

BReuitatis gratia omittentes ea, quę Aristoteles disputat de nomine, verbo, oratione, propositione, eiusque speciebus, oppositionibus, & proprietatibus, quæ explicauimus supra in summulis; agimus solum de vocũ significatione, veritate, & falsitate. Et quia non potest satis intelligi, quo pacto voces significent, seu sint signa, nisi tradatur definitio signi, ideo primo quærimus, vtrum signum conuenienter definiatur, ac diuidatur; secundo vtrum voces significent naturaliter, vel ad placitum, ex pacto, vel ex consuetudine; tertio vtrum significent immediatè conceptus, vel res; quarto vtrum veritas, & falsitas formaliter dentur in solo iudicio mentis, an etiam in apprehensione, sensu, & rebus; quinto vtrum veritas sit to-

totaliter identificata cum cognitione vera, vel saltem semper illi totaliter intrinseca; sexto vtrum eadem cognitio possit esse simul vera & falsa, vel saltem possit mutari de vera in falsam; septimo demum, vtrum de futuris contingentibus detur naturaliter determinata veritas extra Deum, vel solum in diuina præscientia; vbi examinamus an possit ab Astrologis haberi per sidera certa scientia futurorum contingentium.

Vtrum signum conuenienter definiatur, ac diuidatur. Quæstio LV.

VIdetur, quod non sit conueniens definitio, qua signum definitur, quod est institutum ad hoc, vt ducat specialiter potentiam cognoscitiuam in cognitioné alterius; 1. quia multa, quæ ducunt in cognitionem alterius, etiamsi non sint instituta ad hunc finem, adhuc sunt signa; ergo non requiritur ad signa, vt sint instituta ad hunc finem.

2. Sanctus Augustinus lib. 2. de doctri-

na

na Christiana, cap. 1. definit signum, *quod præter cognitionem sui, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*; sed hæc definitio non coincidit cum allata; ergo &c.

Respondeo, quod signum est, quod est institutum ad hoc, vt ducat specialiter potentiam cognoscitiuam in cognitionem alterius. Probatur, quia omnia ea, quæ ita ducunt specialiter potentiã cognoscitiuam in cognitionem alterius, vt sint ad hoc instituta, dicuntur signa; è conuersò quæ non sunt instituta ad hunc finem, etiamsi ducant in cognitionem alterius, non dicuntur signa; ergo ratio signi consistit in hoc, vt ducat specialiter in cognitionem alterius, & sit institutum ad talem finem. Probatur antecedens, quia licet Deus cognitus ducat in cognitionem creaturarum, quia non est institutus ad hunc finem, sed solum est propter se ipsum, tanquam propter finem, non dicitur signum creaturarum; potentia cognoscitiua licet sit instituta ad hoc, vt ducat in cognitionẽ obiectorum, quia non est instituta specialiter propter vnum potius obiectum, quam propter aliud, sed generaliter propter omnia, non est signum. E conuersò creaturę dicuntur signa, & imagines Dei, quia sunt institutę ad hunc fi-

finem, vt ducant in cognitionem Dei; similiter effectus dicuntur signa causarũ, quia causæ ponunt effectus ad manifestandam suam virtutem; at causæ non solent dici signa effectuum, quia non solent poni ad finem manifestandi effectus. Aliquę tamen specials causę, quę sunt institutę ad finem praenunciãdi effectus, vocantur signa, e. g. nubes dicuntur signa pluuiæ, quia specialiter sunt institutę ad finem non solum causandi, sed etiam prędnunciandi pluuias; & ex eadem ratione febres, & morbi non solum dicuntur causę, sed signa mortis.

Confirmatur, quia principalissimè dicuntur signa, quę sunt vnicè instituta ad finem ducendi in cognitionem alterius; ergo &c. Antecedens probatur, quia gemitus, & suspiria dicuntur propriissimè signa doloris, quia sunt principaliter instituta ad dolorem significandum; voces etiam sunt signa passionum internarum, quia datæ sunt animalibus vnicè ad finem significandi internas affectiones. Et quia ad finem ducendi nos in cognitionem rerum, principalissimè data est ipsa cognitio, ideò cognitio est signum omnium principalissimum. Quia rursus per primum in vnoquoque genere definiuntur cætera, vt dictum est qu.

44, ideò omnia ſigna definiuntur per cognitionem, tanquam per principale analogatum, ac ſignum dicitur, quod ducit in cognitionem.

Diuiditur primo ſignum in formale, & inſtrumentale. Formale eſt ipſa cognitio; inſtrumentale eſt. quod ita eſt inſtitutum ad hoc, vt ducat in cognitionem alterius, vt non ſit ipſa cognitio, qua illud cognoſcimus. Ex quo patet, quod cum reflexè in aliqua cognitione cognoſcimus obiectum, cognitio, ſupra quam reflectimus, reſpectu obiecti reflexè in illa cogniti habet rationem ſigni inſtrumentalis.

Diuiditur ſecundo ſignum inſtrumentale in cognitum, & incognitum. Signum inſtrumentale cognitum eſt, quod eſt inſtitutum ad hoc, vt cognitum ducat in cognitionem alterius, eo pacto quo fumus cognitus dncit in cognitionem ignis. Signum incognitum eſt, quod poteſt ducere in cognitionem alterius, etiamſi ipſum non cognoſcatur, vt ſpecies intentionales, quæ poſſunt incognitæ cauſare cognitionem.

Diuiditur tertio ſignum cognitum in ſenſibile, & inſenſibile. Senſibile eſt, quod ita obiicitur ſenſui, vt faciat aliquid aliud in cognitionem venire, vt voces ſunt ſigna ſenſibilia conceptuum,

ſa-

ſacramenta gratiæ, & hoc ſolum defini-
tur definitione Sancti Auguſtini; inſen-
ſibile eſt, quod non cadit ſub ſenſum.

Diuiditur quarto ſignum ſenſibile in naturale, & ad placitum. Naturale eſt, quod ducit in cognitionem alterius propter connexionem naturalem, quam habet cum illo, e. g. fumus eſt ſignum naturale ignis. Ad placitum eſt, quod ducit in cognitionem alterius propter cō-nexionem, quam habet cum illo, non ex natura ſua, ſed ex placito, & arbitrio hominum, vt ramus ante tabernam ducit in cognitionem vini vendibilis ex placito hominum.

Quinto diuiditur ſignum ad placitum in ſignum ex pacto, vel quaſi pacto, & ſignum ex mera conſuetudine. E. g. veſtis muliebris eſt ſignum ſexus fæminei ex mera conſuetudine; at voces ſunt ſigna conceptuum ex pacto, vel quaſi pacto; ſacramenta etiam ſunt ſigna gratię ex quaſi pacto, quo Deus promiſit gratiam conferendam per ſacramenta.

Ad 1. & 2. Patet ex dictis; oſtenſum eſt enim, quod quę ducunt in cognitionem, & non ſunt ad hoc inſtituta non ſunt ſigna; & quod Sanctus Auguſtinus definiuit ſolum ſignum ſenſibile.

Vtrum voces significent naturaliter, vel ad placitum, ex pacto, vel ex consuetudine. Quæstio LVI.

VIdetur, quod significent naturaliter, vt docuerunt Pythagoras, Heraclitus, & quidam alii ex antiquis 1. quia bruta habent voces naturaliter significatiuas omnium eorum, quæ possunt significare; sed natura non minus prouidit hominibus, quam brutis; ergo &c.

2. Tum voces naturaliter significarēt, quando haberent naturalem aptitudinē ad significandam potius vnam rem, quā aliam; sed habent istam aptitudinem: e. g. hęc vox, mugitus, habet naturalem aptitudinem ad significandum mugitum bouis, quem imitatur; ergo &c. Confirmatur, quia si voces non haberēt naturalem aptitudinem ad significandam vnam potius rem, quam aliam, non possent nomina sapienter imponi; sed possunt sapienter imponi, & de facto Adā sa-

pientissimè imposuit animalibus nomina exprimentia eorum essentias, & proprietates ; ergo &c.

3. Si voces significant ad placitum, debuerunt homines ab initio significare placitum, & voluntatem dandi vnicuique voci suam significationem ; sed non aliter potuerunt significare talem volūtatem, quam per voces significatiuas ; ergo ante primam institutionem dabantur voces significatiuę ; istæ non erant significatiuę ex institutione, quia significabant ante omnem institutionem ; ergo erant significatiuæ naturaliter.

4. Non potest explicari voluntas, per quam homines inierunt pactum de danda vocibus significatione; ergo &c. Probatur antecedens, quia si dicas primo, quod homines voluerunt, vt hæc vox *leo*. e. g. esset significatiua leonis, contra est, quia hæc vox constituitur significatiua per hanc ipsam voluntatem ; ergo dum voluerunt, vt esset significatiua, nihil aliud voluerunt, quam velle, quod est absurdum. Si dicas secundo homines voluisse, vt audiens hanc vocem *leo* intelligeret leonem, contra est primo, quia sequitur, quod homines inierint pactum de eo, quod non erat in eorum potestate; neque enim est in hominum potestate, vt audiens vocem *leo* intelli-

Vtrum voces significent naturaliter, vel ad placitum, ex pacto, vel ex consuetudine. Quæstio LVI.

VIdetur, quod significent naturaliter, vt docuerunt Pythagoras Heraclitus, & quidam alii ex antiqui 1. quia bruta habent voces naturalite significatiuas omnium eorum, quæ po sunt significare; sed natura non minu prouidit hominibus, quam brutis; erg &c.

2. Tum voces naturaliter significarē quando haberent naturalem aptitudin ad significandam potius vnam rem, qu aliam; sed habent istam aptitudinem e. g. hęc vox, mugitus, habet natur lem aptitudinem ad significandum mug tum bouis, quem imitatur; ergo &. Confirmatur, quia si voces non haber naturalem aptitudinem ad significanda vnam potius rem, quam aliam, non po sent nomina sapienter imponi; sed po sunt sapienter imponi, & de facto A sa-

pientissimè imposuit animalibus nomina exprimentia eorum essentias, & proprietates; ergo &c.

3. Si voces significant ad placitum, debuerunt homines ab initio significare placitum, & voluntatem dandi vnicuique voci suam significationem; sed non aliter potuerunt significare talem volũtatem, quam per voces significatiuas; ergo ante primam institutionem dabantur voces significatiuę; istæ non erant significatiuę ex institutione, quia significabant ante omnem institutionem; ergo erant significatiuæ naturaliter.

4. Non potest explicari voluntas, per quam homines inierunt pactum de danda vocibus significatione; ergo &c. Probatur antecedens, quia si dicas primo, quod homines voluerunt, vt hæc vox *leo* e. g. esset significatiua leonis, contra est, quia hæc vox constituitur significatiua per hanc ipsam voluntatem; ergo dum voluerunt, vt esset significatiua, nihil aliud voluerunt, quam velle, quod est absurdum. Si dicas secundo homines voluisse, vt audiens hanc vocem *leo* intelligeret leonem, contra est primo, quia sequitur, quod homines inierint pactum de eo, quod non erat in eorum potestate; neque enim est in hominum potestate, vt audiens vocem *leo* intelli-

gat leonem. Secundo contra est, quia repugnat, vt aliquis prudenter velit, quod vnum sequatur ex alio, nisi videat primum habere virtutem ponendi illud aliud, vel nisi velit dare illi talem virtutem; e. g. non possum velle, vt aqua calefaciat, nisi videam aquam esse aptam ad calefaciendum, vel nisi calefaciendo aquã velim illã efficere aptam ad calefaciendum; sed ego non video hanc vocem *leo* esse aptam ex natura ad causandam cognitionem leonis; ergo non possum velle, vt causet cognitionem leonis, nisi velim constituere aptam; sed constituitur apta per talem voluntatem; ergo debeo velle ipsam meam voluntatem; ergo voluntas dans significationem vocibus vult ipsum velle, & nihil aliud. Si dicas tertio homines velle non proferre istam vocem *leo*, nisi cum cogitant de leone, contra est, quia nunquam fuit initum hoc pactum; ego enim possum pro libito proferre hanc vocem *leo* nil cogitans de leone, quin faciam contra pactum.

5. Hoc pactum esset voluntas obligãdi se ad non proferendas quasdam voces, nisi cum habemus certos conceptus; sed non potest explicari obiectum talis voluntatis; ergo &c. Minor probatur: nam talis voluntas vult obligationem; sed

ſed talis obligatio nihil eſt aliud, quam ipſa voluntas; ergo velle se obligare nihil eſt aliud, quam velle ſine obiecto fundamentali.

6. Voces non poſſunt conſtitui ſignificatiuæ per aliquid præteritum; ſed inſtitutio eſt aliquid præteritum; ergo voces non poſſunt nunc conſtitui ſignificatiuæ per inſtitutionem. Et confirmatur, quia pueri dum addiſcunt ſignificationem vocum nihil cogitant de pacto, vel inſtitutione; ergo voces non conſtituuntur ſignificatiuę per pactum, vel inſtitutionem.

Reſpondeo, quod in hac quæſtione certum eſt primo, quod voces datæ ſunt hominibus à natura ad hunc finem, vt per illas ſignificent ſuos conceptus, & in hoc ſenſu ſunt ſigna quodammodo naturalia, hoc eſt naturaliter inſtituta ad ſignificandum, in quo ſenſu laurus ante tabernam non eſt ſignum naturale, quia non eſt naturaliter inſtituta ad ſignificandum.

Certum eſt ſecundo voces naturaliter ſignificare voluntatem illas proferēdi, & cognitionem ipſarum vocum. Sicut enim fumus habet naturalem connexionem cum igne, quia poni non poteſt ſine igne, ſic iſta vox *Petrus* habet naturalem connexionem cum voluntate

illam proferendi, & cum cognitione, qua illam cognoſco, quia poni non poteſt, niſi à volente, & præcognoſcente talem vocem.

Certum eſt tertio contra antiquos relatos argumento primo voces non naturaliter ſignificare, ſed ex placito, ac libera inſtitutione quaſdam determinatas res, quas de facto ſignificant; e. g. iſta vox *Panis* ſignificat panem, non naturaliter, ſed ex libera inſtitutione. Probatur ex Ariſtotele, quia hęc vox *Panis* apud multas gentes nihil ſignificat, vel ſaltem apud ipſas ignoratur ſignificatio huius vocis; ſed ſigna naturalia apud omnes gentes idem ſignificant, & omnibus eſt nota eorum ſignificatio, eo pacto, quo omnibus eſt notum, quod gemitus, & ſuſpiria ſunt ſigna doloris; ergo vox *panis* non ſignificat panem naturaliter. Et quia ſignificatio vnius linguæ ignota eſt gentibus alterius linguæ, ideò voces linguarum non ſignificant naturaliter.

Certum eſt quarto aliquas voces aſſumptas eſſe ad ſignificandas quaſdam res propter naturalem aptitudinem ad ipſas ſpecialiter ſignificandas; e. g. vox *mugitus* aſſumpta fuit ad ſignificandum mugitum bouis, quia illum imitatur, idemque dic de quibuſdam aliis voci-

bus

bus. Adhuc tamen tales voces significāt ad placitum, quia non obstante hac aptitudine potuerunt liberè non assumi ad tales res significandas. Possunt igitur aliquę linguę esse magis expresſiuę, quā alię, quia voces earum habent specialem aptitudinem ad res significatas exprimendas.

Certum quinto videtur, quod voces primariam significationem, quam habent per modum argumenti, habent non ex mera consuetudine sine obligatione, sed ex obligatione orta ex pacto, vel quasi pacto. Probatur, quià loquutio primariò significat, quod loquens habet conceptum cōformem loquutioni, exem gr. loquutio, qua dico tibi *Petrus ægrotat*, significat, quod ego iudico Petrum ęgrotare: sed talis loquutio significat, quod ego iudico Petrum ægrotare ex eo, quia obligor non mentiri, hoc est non ire contra mentem; ergo voces nō significant ex mera consuetudine sine obligatione, sed ex obligatione. E conuersò habitus muliebris significat sexum fæmineum ex mera consuetudine, non autem ex obligatione non mentiendi.

Addidi hanc obligationem oriri ex pacto, vel quasi pacto. Ratio est, quia qui aliquid dicit, postulat sibi credi id, quod dicit, propter suam veracitatem:

hoc enim est loqui; sed non potest hoc postulare, nisi dicens faciat pactum, vel quasi pactum, quo se obliget ad non dicendum, nisi habeat conceptum conformem loquutioni; ergo facit tale pactum, & ex tali pacto oritur obligatio non mentiendi, & significatio primaria vocum. Hinc est, vt etiam Deus, & Angeli dum loquuntur, faciant tale quasi pactum. Nam nisi faciant tale pactum non possunt loqui, hoc est postulare, vt sibi credatur propter ipsorum veracitatem. Hinc etiam oritur, vt licet vna gens non teneatur pactis initis ab alia gente, adhuc vna gens non possit loqui lingua alterius gentis, quin habeat conceptum conformem loquutioni, quia eo ipso, quod Hispanus e. g. loquitur Gallicè postulat sibi credi; ergo init pactum non proferendi voces Gallicas, nisi habeat conceptus conformes; ergo obligatur, non ex pacto inito inter Gallos, sed ex pacto, quod ipsemet init eo ipso, quod vult loqui Gallicè. Ex eadem ratione Deus, & Angeli, dum loquuntur linguis humanis, obligantur nō quidem ex pacto inito inter homines, quod non habet vim obligandi, Deum, & Angelos, sed ex pacto, quod ipsimet ineunt, dum volunt loqui cum hominibus linguis humanis. Eo enim ipso, quod

quod non facerent pactum, non loquerentur.

Dicendum sexto: de facto linguæ primariæ habent significationem, non ex institutione humana, sed ex diuina; linguæ secundariæ habent significationẽ ex consuetudine, & corruptione primariarum linguarum. Prima pars probatur, quia Deus infudit primis hominibus cognitionem linguæ Hebraicæ, & eius significationis; ergo Deus instituit linguam Hebraicam; post diluuium infudit septuaginta duobus familiis, quæ conuenerant ad ædificandam Bæbylonicam turrim, notitiam septuaginta duarũ linguarum primariarum; ergo &c. Talis verò linguarum infusio facta fuit per infusionem specierum intentionalium, repræsentantium voces talium linguarũ, & earum significationes, quæ species similes erant illis, quas nos acquirimus, dum linguas addiscimus. Secunda pars probatur exemplificando in nostratibus linguis, Italica, Hispanica, & Gallica, quę ortæ sunt ex consuetudine per corruptionem linguę latinæ. Cum enim Romani victores in istas prouincias cũ imperio introduxissent linguam latinã, postquam barbari illas occuparunt, loquentes semilatinè, & semibarbarè, paulatim introduxerunt vsum trium lingua-

rum, quæ ortæ sunt ex corruptione vocum latinarum, & admixtione barbararum. Hinc satisfit quęrentibus, cur tanta cura poni debeat in seruandis legibus grammaticę, ac vitandis solæcismis, ac barbarismis. Ratio est, quia non seruatis legibus grammaticę paulatim linguę antiquę corrumpuntur, ac abeũt in desuetudinem, ac loco illarum introducuntur nouæ linguæ cum magna incommoditate commercii. Quantum enim incommodum nobis intulit corruptio linguæ latinæ? Primo, quia linguam latinam, quam antiqui Itali à parentibus, & nutricibus hauriebant, cogimur modo addiscere in scholis cum summa difficultate, & labore. Secundo, quia cum ante conueniremus lingua cũ Hispanis, & Gallis, nunc linguis discrepamus cum magno incommodo.

Ad 1. Postulat argumentum, vt explicetur, in quo conneniant voces humanę, ac brutales, & in quo differant, & vt afferatur disparitas, propter quam voces brutales significant solum naturaliter, voces humanæ etiam ad placitum. Conueniunt in hoc, quod vt definiuntur ab Aristotele hic, capite primo, tũ voces humanę, tum brutales sunt earũ, quæ sunt in anima, passionum notæ. Quia enim non solum homines, sed etiam plura

plura ex brutis animalibus debent posse inuicem significare internas animi passiones, & affectiones, natura, quę non deficit in necessariis, non solum hominibus, sed etiam brutis dedit vim formandi voces. Differunt voces brutales, & humanæ, quod sunt significatiuę diuersarum passionum internarum. Passiones internę brutorum ordinãtur vnicè ad conseruationem vitæ, ideoque consistunt in cognitionibus, quibus discernunt iucundum, quod est vitę conseruatiuum, à molesto, & corruptiuo, & in appetitionibus, quibus prosequuntur iucunda, & fugiunt molesta; ergo proportionaliter voces brutorum significant solum, discretionem iucundi, & molesti, & eorum prosequutionem, ac fugam. Et quia ad significandas differentias talium internarum passionum sufficiunt paucę differentię vocum, ideò bruta paucis differentiis vocum significant paucas differentias internarum passionum; e. g. per vnam differentiam vocis significant famem, siue appetitum cibi, & molestiã ex eius carentia, eo pacto, quo paruæ auiculę significant matri talem appetitũ, vt ab ipsa cibus afferatur; per aliam differentiam vocis significant delectationẽ ex cibi præsentia, vt cum Gallina inuẽto cibo dat signum pullis suis, vt accur-

rant ad illum sumendum; per aliam significant iram, siue appetitum vindictę, & pugnæ ex præsentia hostis, & spe victorię; per aliam timorem, & appetitum fugæ ex præsentia hostis, ac desperatione victoriæ. &c.

E conuersò passiones internæ hominis non solum ordinantur ad conseruationē vitę, sed etiam ad contemplationem vniuersalem veri, & ad amorem honesti, ac boni simpliciter; ergo proportionaliter voces externæ hominis non solum debent significare discretionem iucundi à molesto, sed etiam discretionem vniuersalem veri à falso, & cuiuslibet entis à quolibet alio ente, & amorem boni vniuersalis, ac honesti; sed ad significādam discretionem veri à falso, & cuiuslibet entis ab alio ente requiruntur innumeræ differentiæ vocum, sicut innumeræ sunt cognitiones discretiuæ significandę; ergo homo supra bruta debuit habere potentiam voces articulandi, per quam posset formare innumeras differentias vocum.

Rursus est secundum naturam agentium liberorum, vt multa relinquantur ipsis determinanda per liberam eorum electionem. Sicut igitur natura dedit brutis determinatum genus vestium, & armorum; homini verò non dedit deter-

terminatum genus vestium, & armorum, sed ingenium, manus, ac libertatem, per quæ posset varia genera vestium, & armorum per ingenium excogitare, per libertatem eligere, & per manus conficere, vt dictum quæst. 50; sic natura dedit brutis voces naturaliter significatiuas omnium internarum passionum, quas possunt significare; homini verò dedit potentiam articulandi innumeras voces, & ingenium, ac libertatem, per quas posset pro libito voces eligere ad hoc potius, quam illud obiectum significandum, adeoque potentiam instituendi plures linguas, per quas loqueretur; ergo cũ bruta non exprimant suas passiones, nisi per voces naturaliter significatiuas, homines possunt suas exprimere per voces significatiuas ex placito.

Ad 2. Patet ex dictis conclusione quarta, quod non sufficit ad hoc, vt voces significent naturaliter, vt quædã voces habeant naturalem aptitudinem significandi potius vnam rem, quam aliam. Ad confirmationem nego antecedens. Dico enim quod duplex est genus nominum; aliqua sunt primitiua, aliqua deriuatiua; primitiua, quę non deriuãtur ex aliis, possunt sapienter imponi, hoc est ordinatè, vt sibi correspondeant secundum desinentias &c.

No-

Nomina deriuatiua possunt sapienter imponi per hoc, quod rei imponatur nomen deriuatum à naturalibus proprietatibus, actionibus, & proportionibus talis rei. Adam igitur sapientissimè imposuit animalibus nomina deriuatiua. Potuit enim e. g. imponere leoni nomen deriuatum à fortitudine; vulpi nomen deriuatum ab astutia. &c. Nomina verò primitiua, & radicalia linguę Hebreę imposita sunt à Deo auctore illius linguæ, vt dictum est conclus. 6.

Ad 3. Dictum est conclusione sexta primas linguas institutas esse non ab hominibus, sed à Deo. Si verò homines ab initio creati fuisent sine cognitione vllius linguę, dico, quod pactum instituendi primas linguas exprimere potuissent per nutus, qui sunt signa naturalia, sicut de facto muti suos conceptus manifestant nutibus, quorum significatio percipitur ab omnibus gentibus.

Ad 4. Postulat argumentum, vt explicetur, quod pactum ineant homines instituentes aliquam linguam. Dico; quod cum in linguis dentur duo genera vocum, hoc est complexarum, quę significant verum, & falsum, *vt homo currit*; & incomplexarum, quę non significant verum, & falsum, vt nomina, & ver-

verba, e. g. *homo*, *leo*, *currit* &c. primo debet iniri pactum de danda significatione vocibus incomplexis, secundo de danda significatione complexis. Pactum de danda significatione vocibus incomplexis est voluntas, & conuentio formandi species complexas certarum vocum, & certarum rerum; e. g. vt homines huic voci *panis* darent significationem panis, conuenerunt in hoc, vt formarent speciem complexam de hac voce *panis*, & de pane, quem edimus. Ex specie verò complexa vocis, ac rei oritur, vt visa re, occurrat cogitatio vocis, & audita voce, occurrat cogitatio rei; eo pacto, quo viso pane, occurrit vox significans panem, & audita voce *panis*, occurrit cogitatio panis. Porrò modus formandi species complexas vocum, & rerum constat vnicuique per experientiam. Cum enim aliquam linguam addiscimus, totus labor consistit in hoc, vt simul cogitantes attentè certas res, & certas voces, formemus species complexas illarum, virtute quarum auditis vocibus occurrat cogitatio rerum, & è cõuersò.

Voluntas, ac pactum dandi vocibus complexis significationem veri, & falsi, est voluntas se obligandi ad non proferendas serio certas voces complexas, nisi

nisi cum proferens iudicat certum obiectum: e. g. voluntas, qua me obligo ad non dicendum seriò *Petrus ægrotat*, nisi cum iudico Petrum ægrotare, dat significationem complexam dictis vocibus.

Hinc primo patet malitiam mendacii consistere in hoc, vt quis faciat contra tale pactum, & talem obligationem. Secundo patet differẽtia inter loquutionem, & alia signa. Loquutio, seu fiat per voces, seu per scripturas, seu per nutus seu alio modo, semper includit pactum, quo quis se obligat ad non ponenda talia signa, nisi habeat conceptum conformem. Cætera signa non includunt tale pactum, e. g. qui vestitur veste fœminea non facit tale pactum. Tertio patet, quod sicut fumus significat ignem propter connexionem naturalem, quam habet cum igne, sic loquutio significat per modum argumenti conceptum conformem, propter connexionem moralẽ cum tali conceptu, quæ connexio moralis consistit in hoc, vt non possit licitè poni talis loquutio, nisi habeatur conceptus conformis. Quarto patet, quod cum quis profert voces etiam complexas in talibus circumstantis, vt appareat loquentem nolle se obligare ad credendum obiectum, sed solum velle excitare ap-

apprehensionem obiecti, non mentitur. Ideò Poetæ non mentiuntur, cum fabulas narrant. Sciunt enim omnes Poetam solum intendere, vt excitet apprehensiones, nec ad aliud se obligare. E conuersò mentitur Historicus narrãs falsum, quia eo ipso, quod sumit munus Historici, obligat se ad non scribenda ea, quæ scit esse falsa. Quinto patet quid sit loqui cum aliquo. Est facere cum illo contractum, quo loquens se obligat ad habendum conceptum conformem verbis, & ad hoc dat audienti ius. Est autem manifestum ex circunstantiis cum quo loquens loquatur.

Aliud igitur est loqui cum aliquo, aliud loqui coram aliquo; e g. potest quis licitè loqui coram excommunicato, ita vt etiam ab illo audiatur; at non potest licitè loqui cum excommunicato faciendo cum illo contractum loquutionis.

Ad 5. Difficultas de obiecto voluntatis obligatoriæ non spectat ad logicam. Quia tamen importunè vrgetur etiam in logica, omissis responsionibus recentiorum, quę sunt longæ, & difficiles, affero solutionem antiquorum, quæ est facilior, & breuior, relinquens aliorum examini, vtrum etiam sit verior.

rior. Dico, quod obiectum voluntatis obligatoriæ est obligatio distincta à voluntate. Si quæratur quid sit talis obligatio? Dico, quod est aliqua entitas moralis instituta ad hoc, vt per illam natura rationalis formaliter obligetur, quæ entitas vocatur moralis, non quia non sit entitas realis, & physica, sed quia pendet à voluntate, & spectat ad mores, eo pacto, quo actus intellectus dicuntur entia intentionalia, & rationis, licet habeant entitatem realem, & physicam. *Dum* opponitur, quod istæ entitates morales ponuntur frustra; respondeo id esse falsum. Sicut enim natura, quia voluit, vt entia mouerentur variis motibus, figurentur variis figuris &c. instituit varios motus; & varias figuras, sic quia voluit, vt dependenter à voluntate naturæ rationales obligarẽtur variis obligationibus, instituit varias obligationes; & sicut alia est figura quadrata, alia rotunda &c, sic alia est obligatio ex iustitia, alia ex gratitudine &c. *S*i quæratur, quomodo ex voluntate resultet talis obligatio; respondeo, quod eo pacto, quo ex fundamento, & termino resultant variæ relationes. Entia enim moralia sunt minimæ entitatis, sicut relationes, & propagantur modo quodam proportionali: imò ab Aristotele

tele cap. de relatiuis enumerantur inter relationes, cum dicat dominum, & Seruum esse relatiua, & tamen dominus dicitur à iure dominii, & seruus ab obligatione seruitutis, quę sunt entia moralia. Sicut verò Deus ad exigentiā causarum physicarum concurrit ad varias entitates physicas, sic ad exigentiam causarum moralium concurrit ad varias entitates morales. Proportionaliter, ac explicantur obligationes, explicantur etiam iura, dominia &c. Porrò hæc entia moralia passim conceduntur ab antiquis scholasticis. Sicut verò Deus habet denominationes relatiuas creatoris &c. per denominationem extrinsecam à relatione, quę est in creaturis, sic habet denominationem obligati ex promissione, &c. per denominationem extrinsecam à iure morali, quod est in creaturis. Si cui non placet ponere cum antiquis hæc entia moralia, quęrat cum recentioribus aliud obiectum voluntatis obligatorię.

Ad 6. Distinguo maiorem; voces non possunt nunc constitui significatiuæ per aliquod præteritum remanens in aliquo præsenti, nego; non remanens, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Voces nunc sunt significatiuæ duplici significatione; prima

est,

per quam excitant apprehẽsionem obiectorum; secunda per quam sunt argumẽta, quod loquens iudicat quod dicit. Vtramque significationem habent ab institutione prẹterita, inquantum remanet in aliquo præsenti. Primam habent ab institutione præterita, in quantum remanet in speciebus complexis vocum & rerum; secundam habent ab institutione, in quantum remanet in obligatione præsenti, & in speciebus talis obligationis. Hinc colligitur, quod si Deus auferret ab hominibus species complexas vocum latinarum, & rerum per ipsas significatarum, eo ipso voces latinæ amitterent significationem, & periret lingua latina. Ad confirmationem dico, quod pueri dum addiscunt linguam, & significationem vocum, addiscunt voces habere hanc vim excitandi cognitionem rerum, nescientes an habeant talem vim propter species complexas, vel propter aliam causam, & etiam ipsi formant tales species complexas. Addiscunt etiam dari obligationem non proferendi certas voces, nisi cum habetur conceptus conformis.

Vtrum

Vtrum voces significent immediatè conceptus, vel res. Quæstio LVII.

Ex vna parte videtur, quod voces significent immediatè conceptus, quia sicut se habet scriptura ad significandas voces, ita se habent voces ad significandos conceptus; sed scriptura significat immediatè voces, mediatè conceptus, & res: ergo voces significant immediatè conceptus, mediatè res per conceptus expressas. Minor probatur; nam illud scriptura significat immediatè, quod statim apprehendimus, visa scriptura; sed visa scriptura primo percipimus voces, deinde rem significatam, imò aliquando percipimus solum vocem, non percipimus rem significatam; ergo &c.

Ex alia parte videtur experientia cõstare, quod voces significant immediatè res; nam audita voce primo statim intelligimus rem, deinde conceptum.

Respondeo manifestum esse, & ab omnibus supponi, quod voces non solum significant res, sed etiam conceptus; e.g. hæc

hęc vox *homo* non solum significat hominem, sed etiam conceptum, quem loquens format de homine. Quæritur, an significent immediatè conceptus, vel res. Sanctus Thomas in commentario libri primi Perihermenias, lect. 1. docet, quod significant immediatè conceptus, & hanc sententiam tribuit Aristoteli. Scotus, quem sequuntur alii pręsertim recentiores existimant, quod immediatè significant res. Censeo posse conciliari vtramque sententiam, distinguendo multiplicem significationem vocum.

Dico igitur primo: voces complexæ significatione primaria, & per modum argumenti significant immediatius, & prius conceptus loquentis, mediatè, & posterius res. Probatur, quia illud voces significant immediatè, vt argumentum, ad quod inferendum sunt immediatum argumentum; sed voces sunt immediatum argumentum, quod loquens habet conceptum conformem loquutioni, mediatum verò ad inferendum, quod obiectum est conforme conceptui; ergo voces per modum argumenti significant immediatè, quod loquens habet conceptum conformem loquutioni: mediatè, quod obiectum est conforme conceptui. Minor probatur euidenter; cum enim Petrus dicit mihi, quod Paulus ægrotat,

e. g.

e. g. ego facio tale argumentum. Petrus dicit, quod Paulus ęgrotat; sed Petrus est bonus, & non mentitur; ergo Petrus credit Paulum ægrotare; sed est sapiens, & in hac existimatione non fallitur, ergo verè Paulus ęgrotat: in quo discursu patet, quod ex loquutione infero immediatè Petrum habere iudicium conforme loquutioni, & deinde ex iudicio infero obiectum esse conforme iudicio. Confirmatur, quia loquentibus credimus propter veracitatem, & sapientiã ipsorum. Quia enim sunt veraces, credimus iudicium esse conforme loquutioni, alioquin mentirentur; quia sunt sapientes, credimus obiectum esse conforme iudicio, alioquin errarent; ergo prius inferimus iudicium esse conforme loquutioni, deinde obiectum esse conforme iudicio. Hinc colligitur duo requiri in loquente, vt fidem mereatur, veracitatem nimirum, & sapientiam. Propter veracitatem credimus loquentem non fallere, nec mentiri; propter sapientiam credimus eumdem non falli, nec errare. Si verò habemus fundamentum putandi, quod loquens, vel vult decipere mentiendo ex defectu veracitatis, vel decipitur, & errat ex defectu sapientiæ, non credimus. Et quia solus Deus est ita verax, vt non possit fallere men-

mentiendo, est ita sapiens, vt falli non possit errando, ideò solus Deus meretur fidem summam, & exclusiuam omnis dubitationis; creaturæ merentur fidem maiorem, aut minorem; pro vt magis, aut minus participant de diuina veracitate, ac sapientia.

Dico secundo: voces excitant immediatè apprehensio nes rerum, mediatè apprehensionem conceptuum, ideoque significatione per modum imaginis, & excitatiua apprehensionis significant immediatè res, mediatè conceptus. Probatur, quia qui audit istas voces *Cœlum tonat*, primo, & immediatè apprehendit Cœlum tonans, deinde conceptum, quē loquens habet de Cœlo tonante; ergo istæ voces excitant immediatè apprehēsionem rei, hoc est Cœli tonantis. Non tamen excitant quamcumque apprehensionem, sed certam, & determinatam: e. g. ista vox *homo* excitat apprehensionem hominis obscuram, & definibilem; istæ voces *animal rationale* excitant apprehensionem claram, & definitiuam eiusdem hominis.

Dico tertio: voces licet excitent immediatè conceptus rerum, tamen intimè penetranti earum significationem, significant immediatè conceptus, mediatè res. Probatur; quia qui intimè pe-

ne-

netrat istam vocem *homo* videt, quod nō significat hominem vtcumque, sed vt cognitum conceptu determinato, hoc est vniuersali, ac definibili; sed significare res, vt cognitas certo cōceptu est immediatè significare conceptum, mediatè rem; ergo &c. Neque quoad hoc videtur posse fieri alia quæstio, quam de nomine.

Hinc conciliantur sententiæ. S Thomas, dum dicit voces significare res mediis conceptibus, loquitur in sensu tertię cōclusionis; Scotus dum asserit, quod significant immediatè res, loquitur in sensu secundæ conclusionis.

Ad 1. Concedo, quod scriptura significat immediatè voces, vt patet manifestè ex eo, quod qui prius non intelligit quas voces significet scriptura, eo quod nesciat, legere non potest intelligere, quas res significet. Excipiuntur Hyeroglyphica, & alia huiusmodi, quę significant immediatè conceptus, & res, nullis mediis vocibus: e.g. serpens caudam mordens apud Aegyptios significabat non voces aliquas, sed rem, hoc est annum, cuius finis expressus per caudam coniungitur cum principio alterius expresso per caput serpentis. Concedo, quod etiam voces significant immediatè conceptus in sensu tertię conclusionis,

at dico, quod licet scriptura excitet immediatè apprehensionem vocum, voces excitant immediatè apprehensionē rerū in sensu secundę conclusionis, vt patet experientia.

Ad 2. Argumentum probat, quod voces excitent immediatè apprehensionem rerum, quod iam est concessum.

Vtrum veritas, & falsitas dentur in solo iudicio intellectus. Quæstio LVIII.

VIdetur quod veritas, & falsitas non dentur in solo iudicio, sed etiam in prima apprehensione, in sensu, & in rebus ipsis 1., quia tum prima apprehensio posset esse formaliter vera, vel falsa, cum posset esse conformis, vel difformis obiecto, siquidem veritas definitur coformitas cognitionis cū obiecto; sed prima apprehensio potest esse conformis, aut difformis obiecto; nam definitio ex communi doctrina est prima apprehensio; sed definitio potest esse conformis, vel difformis obiecto definito, e. g. definitio, qua homo definitur animal rationale, conformis est homini;

mini; at definitio qua Angeli definiebātur à Platonicis, animalia rationalia, immortalia, difformis eſt obiecto definito; ergo &c.

2. Si dicatur, quod prima apprehenſio non poteſt eſſe formaliter vera, vel falſa, quia non eſt iudicatiua ſui obiecti, ſequitur, quod actus ſenſuum, vtpotè iudicatiui ſuorum obiectorum poſſint eſſe veri, vel falſi, e. g. quod actus, quo viſus iudicat Solem eſſe lucidum, ſit formaliter verus, quia eſt conformis obiecto; actus, quo idem viſus iudicat Solem eſſe palmarem, vel remum in aqua eſſe fractum, ſit falſus, & difformis obiecto. Confirmatur, quia Ariſtoteles in libris de Anima docet, quod ſenſus nunquam errant circa propria ſenſibilia, ſed errant circa communia, eo pacto, quo viſus non errat circa lucem Solis, ac ſtellarum, quia lux eſt proprium ſenſibile viſus, at errat circa magnitudinem Solis, ac ſtellarum, & circa figuram remi in aqua, quia magnitudo, & figura ſunt ſenſibilia communia; ergo in ſenſibus dari poteſt error, ac falſitas; ergo etiam veritas.

3. Bonum, & malum formaliter non ſolum dantur in actibus animę, sed etiā rebus extra animam, imò ideò actus animę ſunt boni, vel mali, quia obiecta

 ama-

amata sunt bona, vel mala; ergo proportionaliter verum, & falsum formaliter dantur non solum in actibus intellectus, sed etiam in rebus extra intellectum, imò ideò actus intellectus sunt, veri, vel falsi quia obiecta sunt vera, vel falsa. Confirmatur, quia verum est quoddam bonum, falsum est quoddam malum; sed bonum, & malum primo dantur extra animam; ergo.

Respondeo Aristotelem sexto metaphys. textu octauo ponere duas conclusiones. Prima est, quod verum, & falsum propriè sunt non in rebus, sed in mente. Secunda quod non sunt in quolibet actu mentis, sed in solo iudicio, non autem in prima apprehensione. Verba ipsius sunt; *verum enim falsumque non sunt in rebus, vt bonum quidem sit verum, malum autem falsum, sed sunt in mente; circa verò ea, quæ sunt simplicia, ipsumque quid est, neque in ipsa sunt mente.* Cõformiter ad hanc doctrinam primo perihermenias, capite primo docet, quod sicut non omnes actus mentis sunt veri, vel falsi, sed soli actus iudicatiui; sic non omnes voces significant verum, vel falsum, sed solę voces complexę, quę significant compositionem, aut diuisionem; incomplexæ verò non significant verum, neque falsum.

Po-

Potest prima conclusio probari, quia veritas formalis est quædam similitudo, per quam obiectum dicitur esse sicut est; sed talis similitudo non est in rebus, sed in natura cognoscitiua, e. g. similitudo, per quam dicitur de Cœlo, quod est rotundum, cum sit rotundum, non est in Cœlo, sed in cognoscente; ergo veritas non est in rebus, sed in cognoscente; & proportionaliter falsitas, quę est dissimilitudo, per quam res dicitur esse aliter, ac est. Hinc colligitur proportio inter bonum, & malum, quę sunt perfectio, ac defectus rerum, & inter verum, & falsum, quæ sunt perfectio, vel defectus cognoscentis. Bonum rerũ consistit in hoc, vt res habeant illam formam, quam debent habere: malum consistit in hoc, quod priuentur tali forma; e.g. bonum animalis consistit in hoc, vt habeat debitam dispositionem membrorum, & debitum temperamentum humorum; at malum animalis consistit in hoc, vt priuetur debita dispositione membrorum, per quam priuationem fit mutilum, monstrosum, ac turpe; vel debita temperatione humorum, per quam priuationem fit infirmum. E conuersò perfectio cognoscentis consistit in hoc, vt habeat similitudinem, per quam dicat obiectum

esse sicut est, per quam similitudinem constituatur verus; malum consistit in hoc, vt excidat à tali similitudine, & constituatur falsus. Colligitur etiam, cur veritas non sit in appetitu, sed in sola potentia cognoscitiua. Ratio est, quia solum in illa potentia datur veritas, quæ ordinatur ad hoc, vt formet in se similitudines rerum, & per hoc trahat quodammodo obiecta ad se; sed sola potentia cognoscitiua ordinatur ad formandas in se similitudines rerum: potentia appetitiua ordinatur ad hoc, vt per suos actus moueatur ad res, ideoque dicitur trahi à rebus: ergo veritas, & falsitas, quæ consistunt in assimilatione, sunt propria solius potentię cognoscitiuæ.

Secunda etiam conclusio, quod veritas, & falsitas non sint in simplici apprehensione, sed in solo iudicio, probatur; quia veritas, & falsitas non est quæcumque similitudo, vel dissimilitudo, sed similitudo perfecta, per quam dicitur res esse sicut est, & opposita dissimilitudo, per quam dicitur res esse aliter, ac est; ergo similitudo, quæ non dicit rem esse, sicut est, non habet perfectionem veritatis; & dissimilitudo, quæ non dicit rem esse aliter, ac est, non habet defectum falsitatis; sed prima apprehen-

prehensio non dicit rem esse sicut est, vel aliter ăc est, quia cum merè apprehendat obiectum non affirmando, vel negando, nihil dicit; nam dicere est affirmare, vel negare; ergo &c. Licet tamen prima apprehensio non sit vera, vel falsa formaliter, potest esse vera, vel falsa dispositiuè, in quantum disponit, ac determinat intellectum ad iudicium verum, aut falsum; potest etiam esse vera, vel falsa pręsuppositiuè, si præsupponat iudicium verum, aut falsum, eo pacto, quo apprehensio, qua dicitur, Petrus filius Francisci, si Petrus non sit filius Francisci est falsa præsuppositiuè, ac de subiecto non supponente, quia supponit falsum iudicium, quo iudicatur Petrum esse filium Francisci.

Dico tertio: in sensu, qui non solum apprehendit, sed iudicat obiectum, datur veritas, & falsitas materialis, per quam iudicat obiectum sicut est, vel aliter ac est; non autem veritas, & falsitas formalis, quæ datur in solo iudicio intellectus.

Probatur, quia ille actus perficitur formaliter à veritate, & est formaliter verus, qui attingit, ac iudicat ipsam formalem veritatem; sed actus sensitiui non attingunt, neque iudicant ipsam formalem veritatem; ergo &c. Minor

 pro-

probatur, quia ex dictis formalis veritas est similitudo, per quam obiectum dicitur esse sicut est; sed actus, quo visus iudicat e.g. Solem esse lucidum, non iudicat talem similitudinem, cum non reflectat supra se ipsum, qui est talis similitudo; è conuersò actus, quo intellectus iudicat Solem esse lucidum, cum reflectat supra se ipsum, vt dictum est quæst. 12. ad sextum, iudicat hanc formalem similitudinem; ergo in solo iudicio intellectus datur veritas formalis, seu formaliter cognita. Tota hæc doctrina insinuatur à Sancto Thoma in Commentario textus 8. sexti metaphys. lect. vltima.

Debet aduerti ex Caietano, quod licet omnes actus intellectus, & voluntatis reflectant supra se ipsos, tamen ex actibus intellectus sola affirmatio, & ex actibus voluntatis solus amor reflectunt supra se ipsos in eodem genere; negatio & odium reflectunt in diuerso genere. Explicatur, nam affirmatio, sicut affirmat obiectum, ita affirmat se affirmare; amor sicut amat obiectum, ita amat se amare; sed hoc est tales actus reflectere supra se ipsos in eodem genere, quo tendunt in obiecta; ergo &c. E conuerso negatio licet neget obiectum, non negat, sed affirmat se negare obiectum;

ctum; odium licet oderit obiectum non odit, sed amat se odisse obiectum, eo pacto, quo cum quis odit peccatum, & non vult amplius peccare, non odit suum odium de peccato, sed illud amat, & vult; ergo negatio, & odium reflectunt supra se ipsa in diuerso genere, ac tendant in obiectum, quia cum obiectum negent, & oderint, affirmant, & amant se ipsa.

Dico, quarto: verum, & falsum dicuntur analogicè de iudicio mentis, tamquam de principali analogato; de rebus, de prima apprehensione, de sensu; de vocibus &c. tamquam de analogatis minus principalibus. Probatur, quia sicut animal dicitur sanum, quia habet sanitatem in se, ita iudicium mẽtis dicitur verum, quia habet in se conformitatem affirmatam cum obiecto, dicitur falsum, quia habet oppositam difformitatem; sicut cætera sana dicuntur, quia habent aliquem ordinem ad sanitatem animalis, ita cętera vera, vel falsa dicuntur vera, vel falsa, quia habent aliquem ordinem ad veritatem, vel falsitatem iudicii. E. g. res dicuntur veræ, vel falsæ fundamentaliter, & causaliter, quia verificant propositionem, & causant veritatem, aut falsitatem illius; ex eo enim, quod res est, propositio est

vera, vel falsa, vt docet Aristoteles in postprædicamentis, capite de priori. Res etiam, quæ sunt aptę ad causandam cognitionem falsam, dicuntur falsæ, e.g. falsum aurum dicitur, quod est aptum videri aurum, cum non sit. Prima apprehensio dicitur vera, vel falsa, in quantum disponit ad iudicium verum, aut falsum, vel illud præsupponit. Sensus dicuntur veri, vel falsi, in quantum attingunt veritatem materialem. Voces dicuntur veræ, vel falsæ, in quantum significant iudicium verum, aut falsum.

Ad 1. Ad veritatem, & falsitatem simpliciter nõ sufficit quælibet conformitas, aut difformitas cum obiecto, sed requiritur conformitas perfecta, per quam res dicatur esse sicut est, & difformitas, per quam dicatur esse aliter, ac est, quæ conformitas ac difformitas non dantur in prima apprehensione, vt dictum est in conclusione secunda. Definitio igitur secundum se præcisè non est vera, nec falsa, sed potest dici vera, vel falsa, inquantum potest verè, vel falsò affirmari de aliquo definibili: e. g. animal rationale est vera definitio hominis, quia potest verè dici, quod homo est animal rationale; at animal rationale immortale est falsa defi-

definitio Angeli, quia falsò dicitur, quod essentia Angeli est, vt sit animal rationale immortale.

Ad 2. Actus sensitiui sunt veri, vel falsi solum materialiter, vt dictum est conclusione tertia, & vt expressè docet Sanctus Thomas loco cit. nec Aristoteles aliam illis tribuit veritatem, aut falsitatem.

Ad 3. Bonum, & malum consistunt in hoc, vt res habeant formam debitam, vel priuentur forma debita, vt dictum est conclusione prima; & quia res extra animam habent formam debitam, vel illa priuantur, ideò res extra animam habent bonum, vel malum etiam formaliter. At verum, & falsum consistit in hoc, vt similitudo rei vel sit perfecta per hoc, quod dicat rem esse, sicut est, vel sit defectuosa per hoc, quod dicat rem esse aliter, ac est; sed solum iudicium est similitudo rei capax talis perfectionis, ac defectus; ergo solum iudicium potest esse formaliter verum, aut falsum. Licet igitur verum sit quoddam bonum, falsum sit quoddam malũ; tamen verum est bonum particulare solius mentis, falsum est malum particulare solius mentis, ideoque dantur in sola mente. Hinc sequitur, quod licet actus voluntatis sint boni, vel mali for-

ipsa totaliter identificatam, ita vt illa eadem non potuerit esse vera 1. quia ita se habet veritas, & falsitas ad iudicium mentis, sicut bonitas & malitia ad actus deliberatos voluntatis; sed actus moraliter boni, & honesti identificantur adæquatè cum sua honestate, ita vt implicet, quod ille idem numero actus, qui de facto est honestus, fuerit malus, & peccaminosus, idemque valet proportionaliter de actibus malis; ergo etiam cognitio vera, & falsa identificãtur adæquatè cum sua veritate, vel falsitate.

2. Nulla denominatio, quę conuenit alicui essentialiter, & per adæquatam identitatam, potest alteri conuenire cõtingenter: e. g. quia rationalitas conuenit homini essentialiter nõ potest esse accidentalis vlli rei; sed cognitio diuina est vera veritate essentiali, & secum identificata; cognitiones etiam creatæ habentes omnimodam certitudinẽ de suis obiectis veræ sunt essentialiter; ergo nulla cognitio potest esse vera accidentaliter, ita vt eadem potuerit esse falsa.

3. Per illud cognitio est vera, per quod est imago obiecti; sed per se ipsã est imago obiecti; ergo per se ipsam est vera.

intrinseca; sed veritas est propria perfectio cognitionis; ergo debet esse intrinseca cognitioni. Confirmatur primo, quia sicut actus voluntatis non potest constitui bonus, & honestus per aliquid purè extrinsecum, sic nec actus intellectus potest constitui formaliter verus per aliquid purè extrinsecum. Confirmatur secundo, quia cognitio, qua dico *Petrus peccabit*, si sit vera, nunc est perfectior, quam si esset falsa; sed non potest nunc constitui perfectior per peccatum Petri, quod non est, sed erit; ergo constituitur vera per veritatem intrinsecam sibi.

Respondeo triplicem examinandam esse quæstionem. *Prima* est, vtrum prę ter cognitiones necessario veras, ita vt eædem numero non potuerint esse falsę, dentur alię cognitiones contingenter veræ, ita vt eædem numero potuerint esse falsæ. Secunda est, vtrum cognitiones contingenter veræ, vel falsæ, sint verę, vel falsę per aliquid intrinsecum, vel extrinsecum. Tertia vtrũ cognitiones necessario verę, vel falsæ sint veræ, vel falsæ per aliquid identificatum, vel per aliquid distinctum.

Vt resoluam primam quęstionem; dico primo; omnes cognitiones omninò certę, etiam de veritatibus contingen-

gentibus sunt verę necessario; cognitiones incertę de veritatibus necessariis, si sunt verę, sunt necessario verę, si falsæ, necessario falsæ; plures cognitiones incertę de veritatibus contingentibus sunt verę, vel falsę contingenter, ita vt illæ eædem numero, quæ sunt veræ, potuerint esse falsę, & è conuerso.

Quod cognitiones omninò certæ, etiam de veritatibut contingentibus sint verę necessariò, est manifestum, quia implicat, vt habeamus omnimodam certitudinem de falso.

Quod cognitiones etiam incertę de veritatibus necessariis, quando sunt veræ, sint necessario veræ, & è conuerso, est pariter manifestum. Ponamus enim hanc cognitioné probabilem, & incertam, *Non potest actu dari infinitum creatum*; si hæc cognitio est vera, ideò est vera quia infinitum creatum repugnat; sed si infinitum repugnat, necessariò repugnat & non potest non repugnare; vt autem esset falsa talis cognitio, requireretur, vt infinitum non repugnaret; ergo si est vera, necessariò est vera, & nonpotest esse falsa: & ex proportionali ratione, si est falsa, necessario est falsa, & non potest esse vera.

Probatur igitur, quod plures cogni-

tio-

iones incertę de obiectis contingenti-
ous sint veræ, vel falsę contingenter.
Ponamus cognitionem, qua ego iudi-
em, *Petrus nunc ludit* ex eo, quod tali
empore soleat ludere; illa cognitio,
i Petrus ludit est vera, si non ludit, est
alsa; sed potest eadem esse, seu ludat,
eu non ludat; ergo potest eadem esse
era, vel falsa. Nec dicas, quod non
otest cognitio esse eadem numero in
asu, in quo Petrus ludat, & in casu,
n quo non ludat, sed in casu in quo lu-
lit, debet esse alia cognitio necessariò
alsa: nam contra est, quia cum est ea-
lem causa proxima, & idem numero
notiuum cognitionis, elicitur eadem
numero cognitio; ex eadem enim causa
proxima adęquata naturaliter resultat
idem effectus; sed si Petrus non luderet,
daretur eadem causa proxima, idem-
que motiuum cognitionis; ergo elicere-
tur eadem numero cognitio, vel saltem
eadem specie, cum in opposita sententia
nec possit esse eadem specie; cognitio
enim necessariò vera specie differt à co-
gnitione necessariò falsa.
Dico secundo resoluendo secundam
quęstionem: cognitiones contingenter
veræ, vel falsæ de obiecto prędterito, vel
præsenti, quod obiectum non sit diuina
scientia de futuris contingentibus, sunt
verę,

verę, vel falsæ per intrinsecam relationem conformitatis, aut difformitatis ad obiecta; cognitiones contingentes veræ, vel falsę de futuris contingentibus, vel de diuina scientia circa talia futura, sunt veræ, vel falsæ per denominationem extrinsecam à diuina pręscientia.

Probatur, quia ex dictis de relatione datur relatio præsentis ad præsens, vel pręteritum, non datur relatio pręsentis ad futurum; ergo in cognitionibus de obiecto pręsenti, vel pręterito datur intrinseca relatio conformitatis, aut difformitatis, quibus constituantur intrinsecè veræ, vel falsæ; sed nulla talis relatio datur in cognitionibus de obiecto futuro. Addidi, quod cognitiones de diuina scientia circa futura non sunt verę, vel falsę per intrinsecam relationem ad talem scientiam; e. g. cognitio, qua dico *Deus scit, quod Petrus peccabit, & damnabitur*, non habet vllam intrinsecam relationem conformitatis, aut difformitatis ad talem scientiam. Ratio est, quia naturaliter ex futuro, & ex præsenti diuina præscientia futuri, nullus producitur effectus præsens: e. g. non potest Deus naturaliter tribuere terræ fœcunditatem pręsentem propter pluuiam futurā, vel propter suam præscien-

tiam

iam pluuiæ futuræ, sed tunc tribuet, cũ luuia erit pręsens, vel pręterita; ergo n cognitione non potest dari vlla relaio præsens ex scientia de futuro, sed unc dabitur cum illud futurũ erit præens. Sicut igitur futurum naturaliter ullum effectum potest causare pro temore anteriore, sic scientia de futuro naraliter nihil potest causare pro temore anteriori ad positionem obiecti, Cognitiones igitur, quibus dico, *Pcrus peccabit, & damnabitur, vel Deus cit Petrum peccaturum, & damnndum* unt veræ, vel falsę per denominationẽ xttinsecam à diuina præsciẽtia præsene, quæ est pręsens futuritio sui obiecti, t magis explicabitur quęstione sexageima prima.

Dico tertio resoluendo tertiam quæionem: cognitio diuina est vera radicaliter, & formaliter per se ipsam; cognilio creata etiam certa est vera radicaliter per obiectum præsertim formale distinctum à cognitione; & est vera fornaliter per relationem conformitatis ad obiectum.

Probatur prima pars: nam cognitio liuina habet totam suam perfectionem à e, & per se, & à nullo distincto, ac per nil distinctum; ergo etiam perfectionem veritatis habet à se, & per se, &

non

non ab aliquo, vel per aliquid distinctũ; ſed eo ipſo quod habet veritatem à ſe, & per ſe, vera eſt per se ipſam radicaliter, cum non habeat diſtinctam radicem veritatis, & formaliter, cum non constituatur vera per formam diſtinctam veritatis; ergo cognitio diuina eſt vera radicaliter, & formaliter per ſe ipſam. Ita tamen habet veritatem à ſe ipſa, & per ſe ipſam, vt etiam habeat veritatem ab obiecto formali, & per obiectum formale. Cum enim cognitio diuina ſit obiectum formale ſui ipſius, vt demonſtrat Ariſtoteles 12. metaph. tex. 39. ita eſt vera per ſe, & à ſe, vt ſit vera per ſuum obiectum formale, & à ſuo obiecto formali. E conuerſo cognitio creata non habet ſuam perfectionem à ſe, ſed ab obiecto formali; ergo habet perfectionem veritatis non à ſe, ſed ab obiecto formali; ergo eſt vera radicaliter, & primo per obiectum formale, à quo etiam habet certitudinem omnem, & euidentiam. Probabile tamen eſt, quod in cognitione creata etiam certa, & euidente detur diſtincta relatio conformitatis cum obiecto, in qua conſiſtat veritas formalis, quę relatio reſultet neceſſario ex certitudine cognitionis.

Ad 1. Nego maiorem. Diſparitas eſt, quia actus voluntatis ſunt honeſti per hoc,

hoc, quod eligant obiectum, quod intellectus iudicat esse honestum, & eligibile; constituuntur mali, & inhonesti per hoc, quod eligant obiectum, quod intellectus iudicat esse inhonestum, & non eligibile; sed per se ipsos habent esse electionem obiecti vt honesti, vel inhonesti; ergo per se ipsos habent esse honestos, vel inhonestos saltem radicaliter quidquid sit, vtrum bonitas, & malitia formalis consistat in distincta relatione conformitatis, aut difformitatis à iudicio rationis, seu dictamine conscientię; ergo non potest idem actus, qui est bonus, non esse bonus, & è conuerso. At actus intellectus sunt veri, non ex eo, quod dicatur obiectum esse, vel non esse, pro vt apparet, sed ex eo, quod dicatur obiectum esse, vel non esse, prout est, vel non est; sed potest idem iudiciũ formari de obiecto potente esse, & non esse, tum quando est, tum quando non est; ergo potest idem iudicium formari, seu sit verum, seu falsum.

Ad 2. Nego maiorem. Multæ enim denominationes, quę conueniunt vni essentialiter, ac necessariò, conueniunt alteri accidentaliter, & contingenter; e. g. anima viuit per se ipsam, & non potest esse, quin viuat, corpus autem viuit, non per se ipsum, sed per animam,

&

& poteſt eſſe, quin viuat. Sic aliqua cognitio eſt vera: neceſſariò, & ita, vt non poſsit non eſſe vera, alia cognitio vera eſt contingenter, & ita vt poſsit non eſſe vera.

Ad 3. Diſtinguo maiorem; per illud cognitio eſt vera, per quod eſt imago obiecti vtcumque, nego; per quod eſt imago conformis obiecto in affirmando aut negando, concedo; diſtinguo eodẽ pacto minorem, & nego conſequentiã. Cognitio nõ conſtituitur vera per hoc, quod vtcumque ſit imago, ſed per hoc, quod ſit imago conformis in affirmando quod eſt, & negando quod non eſt. Talis autem conformitas in cognitionibus incertis, habetur radicaliter non ſolum ex eo, quod cognitio affirmet, aut neget, ſed etiam ex eo, quod obiectum ſit, vel non ſit, formaliter verò habetur per relationem conformitatis, aut difformitatis. Quia igitur poteſt eadem cognitio incerta affirmare obiectũ quando eſt, & quando non eſt, poteſt eadem eſſe vera, vel falſa.

Ad 4. Diſtinguo maiorem; cognitiones, quæ habent diuerſum obiectum per ſe, ſignatè, & intentionaliter, hoc eſt exprimendo diuerſitatem, ſunt diuerſæ, concedo maiorem; cognitiones, quę habent diuerſum obiectum ſolum per aci-

cidens, exercitè, & realiter, sunt diuersæ, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dupliciter potest cognitio habere diuersum obiectum: primo per se, signatè, & intentionaliter, ita vt exprimat, ac designet talem diuersitatem; hoc pacto cognitiones, quibus dico, *homo sedens*, *homo ambulans*, habent obiectum signatè diuersum, quia vna exprimit hominem vt sedentem, alia vt ambulātem. Secundo potest cognitio habere diuersum obiectum solum exercitè, & & ita vt non exprimat talem diuersitatē: e.g. cognitio qua dico, Petrus, si Petrus nunc ambulet, exprimit hominem realiter, & exercitè ambulantem; si Petrus sedeat, exprimit hominem exercitè, & realiter sedentem, adeoque exprimit obiectum exercitè, & realiter diuersū, & tamen quia non exprimit talem diuersitatem, est eadem, seu Petrus ambulet, seu sedeat. Iam in casu nostro cognitio affirmatiua vera, & cognitio affirmatiua falsa habent obiectum exercitè, & realiter diuersum: e. g. cognitio, qua dico *Petrus viuit*, si est vera, habet pro obiecto Petrum exercitè, & realiter viuentem, si est falsa, habet pro obiecto Petrum exercitè, & realiter nō viuentem. Adhuc tamen hęc cognitio

ha-

habet idem obiectum signatè, & intentionaliter, quia semper exprimit Petrũ; & prædicatum viuentis; ergo est eadem & ex eo, quod obiectum se habeat exercitè, sicut dicit cognitio, vel aliter, ac dicit cognitio, constituitur vera, vel falsa.

Ad probationem maioris, distinguo maiorem, cognitio dicens *Petrus nunc est currens* est vera, quia prædicatum idẽtificatur cum subiecto identitate pura metaphysica, ac necessaria, nego maiorem; quia identificatur, identitate etiam denominatiua, & accidentali concedo maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiã. Duplex est identitas. Prima est pura metaphysica, & necessaria, qualis affirmatur per multas propositiones necessariò veras, e. g. per hanc *homo est animal rationale*. Secunda est identitas denominatiua, quæ affirmatur per propositione de obiecto contingente, e. g. per hanc *Petrus est sedens*: neque enim affirmo solum quod Petrus sit idem cum se ipso identitate metaphysica, sed etiam quod à sessione denominatur sedens, quod est identitas denominatiua & accidentalis cum possit Petrus esse sedens, vel non esse sedens. Hinc patet, quod homo identificatur denominatiuè cum prædica-

cato ſedentis differt ſolum accidentaliter ab homine non identificato cum tali prędicato, cum poſsit idem homo eſſe ſedens, vel non eſſe ſedens; ergo cognitio affirmatiua vera dicens *homo eſt ſedens*, habet obiectum ſolum accidentaliter diuerſum à cognitione affirmatiua falſa dicente, *homo eſt ſedens*; & quia hoc obiectum eſt diuerſum ſolum exercitè, & non ſignatè, cognitio eſt eadem.

Ad 5. Diſtinguo maiorem; propria perfectio rei debet eſſe intrinſeca rei, cum datur intrinſecè in radice communicante talem perfectionem, concedo; cum non datur intrinſecè in radice cõmunicante talem perfectionem, nego; concedo minorem; & diſtinguo eodem pacto conſequens. Dictum eſt concluſione tertia, quod obiectum eſt radix veritatis, quæ datur in cognitione; ergo veritas datur in cognitione formaliter, eo pacto, quo datur in obiecto radicaliter. Quia igitur naturaliter futurum contingens non eſt verum vlla veritate, quæ ſit intrinſeca vlli obiecto creato, ſed ſolum veritate, quę datur in diuina pręſcientia, vt dicetur quæſtione 61. ideò futurum contingens, quod eſt obiectum propoſitionis de futuro contingente, nõ poteſt dare cognitioni veritatem formalem

lem intrinsecam; ergo sicut futurum contingens est verè futurum per denominationem à diuina præscientia, sic cognitio de futuro contingente est vera per denominationem à diuina præscientia. Alię veritates de pręsentibus, & præteritis sicut dantur radicaliter in rerum natura, & non solum in diuina scientia, ita dantur formaliter intrinsecè in cognitione, & non per solam denominationem à diuina scientia. Ad primam confirmationem dico, quod actus voluntatis, cum est bonus, semper est bonus intrinsecè, quia semper iudicium rationis, quod est radix bonitatis in actu voluntatis, est illi præsens, adeoque potest communicare bonitatem intrinsecam. At actus intellectus potest esse de futuro contingente, quod non est præsens, neque in se, neque in aliquo sui; ergo tum non potest accipere intrinsecè perfectionem conformitatis ad obiectum. Ad secundam confirmationem dico, quod hæc cognitio *Petrus peccabit*, cum est vera, est perfectior non intrinsecè, sed extrinsecè per denominationem non ab ipso peccato, quod non est, sed à diuina præscientia, quæ est, & est extrinseca perfectio cognitionis sibi conformis. Patet autem, quod actus diuini possunt esse nostrum bonum,
vel

vel malum extrinsecum, eo pacto, quo diuina dilectio est bonum extrinsecum eius, qui diligitur, & diuinum odium est malum extrinsecum peccatoris, qui odio habetur.

Vtrum cognitio possit simul esse vera, & falsa, vel saltem possit mutari de vera in falsam. Quæstio LX.

PRimo videtur, quod possit eadem cognitio esse vera simul, & falsa circa diuersa obiecta. Nam si eadem cognitio esset simul cõformis vni obiecto, ac difformis alteri obiecto, esset simul vera, & falsa circa talia obiecta; sed cognitio, qua dico *Petrus currit, & Paulus sedet*, si Petrus currat, & Paulus non sedeat, est conformis vni, ac difformis alteri; ergo &c.

2. Videtur, quod etiam circa idem obiectum cognitio possit esse simul vera ac falsa. Petrus enim videat Paulum cogitabundum, & dicat intra se *Paulus nunc affirmat verum*; Paulus è conuerso

dicat intra se, *Petrus affirmat falsum*; ista duo iudicia circa idem obiectum sunt vera simul, & falsa; ergo &c. Probatur antecedens; nam si iudicium Petri est verum, verum est quod affirmat; sed affirmat, quod iudicium Pauli est verum; ergo verum est iudicium Pauli affirmans falsum esse iudicium Petri; ergo verum est, quod iudicium Petri sit falsum; ergo iudicium Petri si est verum, simul est falsum, si est falsum simul est verum; nam si est falsum, falsum est, quod affirmat; sed affirmat iudicium Pauli esse verum; ergo falsum est, quod iudicium Pauli sit verum; sed iudicium Pauli affirmat falsum esse iudicium Petri; ergo falsum est, quod iudicium Petri sit falsum; ergo si est falsum est verum. Idem dic de iudicio Pauli, & idcirco tales propositiones dicuntur falsificare se ipsas.

3. Vt ex priscis Academicis certitudinem omnem negantibus argumentatur Tullius in Lucullo circa medium, dicat aliquis reflexè, *ego nunc dico falsum per hanc eamdem cognitionem*; hæc cognitio esset vera simul, & falsa circa idem obiectũ. Nam si est vera, est verum quod sit falsa, adeoque est falsa; si est falsa, est falsum quod sit falsa, adeoque est vera.

4. Vi-

4. Videtur ex opposito, quod non solum non possit eadem cognitio esse vera simul & falsa, sed non possit eadem mutari de vera in falsam, vt contra Sanctum Thomam, & penè omnes antiquos docent multi recentiores. Si enim aliqua cognitio posset mutari de vera in falsã, maximè opinio incerta de obiecto contingente, qua diceretur e. g. *Petrus nunc ludit*, quæ cognitio si duret per aliquod spatium temporis, & in prima parte illius temporis Petrus ludat, in secunda cesset à lusu, in prima parte temporis erit vera, in secunda erit falsa; sed neque hæc cognitio, nec alię similes possunt mutari de veris in falsas; ergo &c. Minor probatur, quia si hæc cognitio affirmat, quod Petus ludit pro toto tempore, quo durat, semper est falsa, quia semper est falsum, quod Petrus ludat toto tempore, quo durat talis cognitio; si affirmat, quod ludit in aliqua parte temporis, quo durat cognitio, non determinando talem partem, semper est vera, quia semper est verum, quod Petrus ludit in aliqua parte temporis, quo dura cognitio; si dicat, quod ludit pro aliquat parte temporis determinata, si ludit in tali parte, semper est vera, si non ludit, semper est falsa; ergo non mutatur de

vera in falsam. Neque dicas, quod affirmat Petrum ludere eo instanti, quod de facto præsens est cognitioni, nam cum semper diuersum instans pręsens sit cognitioni, semper affirmat, quod ludit diuerso instanti; ergo semper affirmat diuersum obiectum; aliud enim obiectum est quod Petrus ludat instanti A, aliud quod ludat instanti B. sed cognitio affirmans diuersum obiectum non est eadem, sed diuersa; ergo non potest eadem cognitio mutari de vera in falsam. Confirmatur, quia cognitio dicēs, *Petrus nunc ludit*, cognoscit intuitiuè præsens nunc, seu instans cognoscentis, eique affirmat coexistere lusum Petri; sed cognitio intuitiua mutatur, mutato obiecto intuitiuè cognito; ergo talis cognitio mutatur singulis instantibus.

5. Si posset cognitio dicens *Petrus nunc ludit*, durare pluribus instantibus, ita vt in vno esset vera, in alio esset falsa, posset etiam cognitio dicens, *Petrus hic ludit* replicari in pluribus locis, ita vt in vno esset vera, eo quod Petrus ibi luderet, in alio esset falsa, eo quod ibi non luderet, quod est absurdum.

6. Non potest idem actus voluntatis aliquando esse bonus, & honestus, aliquan-

quando malus, & peccaminoſus; ergo &c.

Reſpondeo duas examinandas eſſe quæſtiones. Prima eſt, vtrum poſſit eadem cognitio eodem tempore eſſe vera ſimul, & falſa circà idem obiectum, vel circà diuerſa obiecta. Secunda eſt, vtrum ſaltem poſſit eſſe vera, & falſa pro diuerſo tempore, ità vt ſicut idem homo qui nunc eſt ſanus, paulo poſt eſt infirmus, ſic cognitio, quæ nunc eſt vera, poſſit eſſe falſa.

Dico primo, reſoluendo primam quæſtionem: non poteſt eadem cognitio eſſe ſimul vera, & falſa circà idem, neque circà diuerſa obiecta. Prima pars probatur euidenter, quià ex eo, quod obiectum ſit, vel non ſit, cognitio eſt vera, vel falſa: exem. gr. cognitio dicens *Petrus currit* eſt vera, eo quod Petrus currat, eſt falſa, eo quod Petrus nõ currat; ſed non poteſt idem obiectum ſimul eſſe, & non eſſe, exem. gr. non poteſt ſimul currere, & non currere; ergo non poteſt cognitio circà idem obiectum eſſe vera ſimul & falſa. Simili argumento probatur, quod non poteſt iudicium nec eſſe verum, nec falſum, quia obiectum non poteſt nec eſſe, nec non eſſe; ſed ſi obiectum ſit,

cognitio affirmatiua est vera, negatiu falsa, si non sit, è conuerso; ergo implicat, quod cognitio siue affirmatiua siue negatiua nec sit vera, nec falsa.

Secunda pars probatur, quià est axioma commune traditum ab Aristotele, & sancto Dionysio: Bonum ex integra causa, malum ex vnius defectu; exempl. gr. vt aliquis sit sanus, debet habere omnes omninò humores benè temperatos, & carere quolibet morbo; eo enim ipso, quod habeat vel vnicum humorem non debitè contemperatum alijs, & vnico laboret morbo, non est sanus, sed ægrotus; vt aliquis sit simpliciter bonus, debet carere omni peccato, si vel vnicum habeat peccatum mortale, non est bonus, sed malus: idem dic de pulchritudine &c; sed veritas est bonum, falsitas est malum cognitionis; ergo vt cognitio sit simpliciter vera, non debet habere vllam falsitatem, si vel vnicum obiectum falsum affirmet, est simpliciter falsa, licet possit dici vera secundum quid circà determinatum obiectum, eo facto, quo qui simpliciter est ægrotus, potest esse sanus secũdum quid, eo quod non laboret aliquo morbo determinato.

Hinc colligitur solutio quæstionis, an veritas consistat in indiuisibili, vel suscipiat

ſcipiat magis, & minus. Dico, quod conſiſtit in indiuiſibili, inquantum vt cognitio ſit ſimpliciter vera, nihil debet dicere falſum. An verò ex cognitionibus veris vna poſſit dici verior alia, eſt quæſtio de nomine. Certum eſt, quod poteſt vna cognitio cognoſcere plures veritates, quam alia, & ſic eſſe verior extenſiuè. Certum eſt etiam, quod poteſt vna cognitio eſſe magis determinata ad dicendum verum, quam alia, & ſic eſſe verior etiam intenſiuè: quibus poſitis non remanet alia queſtio, quam de nomine.

Dico ſecundo, reſoluendo ſecundam quæſtionem: probabilius eſt poſſe eamdem numero cognitionem mutari de vera in falſam.

Probatur primo ex Ariſtotele in prædicamentis capite de ſubſtantia, *eadem autem oratio* inquit, *vera & falſa videtur eſſe, veluti ſi vera ſit oratio, ſedere quempiam, eo ſurgente eadem falſa erit. Similiter de opinione; ſi quis verum putet aliquem ſedere, ſurgente ipſo falſum putabit, eamdem de ipſo opinionem habens*. Et licet Aduerſarij reſpondeant Ariſtotelem dare ſolum, ſed non concedere ex propria ſententia, quod poſſit eadem opinio mutari de vera in falſam, tamen ſanctus Thomas prima parte quæſt. 15 art. 13.

art.13. ad tertium, & alibi putat Aristotelem id docere ex propria sententia. Cum enim retulisset quamdam opinionem Nominalium, sic argumentatur, *sequeretur, quod propositio, quæ semel est vera, esset semper vera, quod est contra Philosophum, qui dicit, quod hæc oratio, Socrates sedet, vera est eo sedente, & eadem falsa est eo surgente*. Idem docent penè omnes auctores antiqui, & etiam Suarius disput.7. metaph. sect.2. num.9. & 10. Hinc reijcitur explicatio, qua dicunt S. Thomam, & antiquos dum asserũt posse eamdem opinionem de vera mutari in falsam, loqui de opinione, quæ sit eadem moraliter, licet physicè sit diuersa. Manifestum est enim, quod sanctus Thomas, & alij auctores in eo sensu asserunt opinionem posse de vera mutari in falsam, in quo docet id Aristoteles, quem citant vt auctorem huius sententiæ; sed Aristoteles euidenter loquitur de opinione eadem non solum moraliter, sed physicè, vt patet ex verbis, & contextu: ex verbis, quià dicit *oratio quidem & opinio ipsa quidem immobilis perseuerat*; ex contextu verò, quia cum dixisset proprium substantiæ esse, quod cum eadem sit numero, est contrariorum susceptiua; affert instantiam in contrarium, quod etiam eadem opinio

cum

cum possit modo esse vera, modò falsa, est susceptiua contrariorum, quæ instantia non esset ad rem, si loqueretur de opinione eadem solum moraliter; ergo sanctus Thomas, & omnes antiqui loquuntur de opinione, quæ sit eadem non solum moraliter, sed physicè.

Secundo probatur ratione: si cognitio dicens *Petrus nunc ludit* posset eadem numero remanere, Petro cessante à lusu, mutari posset de vera in falsum; sed potest eadem remanere; ergo &c. Minor probatur; si talis cognitio cognosceret præsens nunc solum per accidens, non autem intuitiue, & per se, posset eadem remanere; non enim mutatur cognitio, mutato obiecto cognito solum per accidens, vt dictum est quæst. 59. ad quartum; sed cognoscit præsens nunc solum per accidens; ergo &c. Probatur minor; illud solum per se cognoscit cognitio dicens *nunc*, de quo solum certificatur cognoscens nunc; sed cognoscens *ego nunc existo* solum certificatur de nunc præsente tali cognitioni, quodcumque illud sit, non autem discernit, quod sit tale nunc; ergo &c. Probatur minor; quando quis euigilat ex somno, ac dicit *nunc euigilaui*, non certificatur, vtrum illud sit nunc mediæ noctis, vel nunc matutinum, imò si dormisset multis an-

nis, vt dicitur de ſeptem dormientibus, confunderet præſens nunc cum nunc præterito multis annis ante; ergo qui dicit, *nunc*, ſe habet ſicut qui dicit *homo existens in foro*; ſicut enim hic per ſe cognoſcit ſolum hominem exiſtentem in foro, per accidens verò cognoſcit hunc hominem potius, quam alium, ſi potius hic homo, quam alius exiſtat in foro, ſic ille, qui dicit præcisè nunc, per ſe cognoſcit ſolum inſtans, quo de facto durat talis cognitio, quodcumque illud ſit, per accidens autem cognoſcit potius hoc, quam illud inſtans, eo quod cognitio de facto duret potius hoc, quam illo inſtanti. Confirmatur, quià cognitio intuitiua durationis deberet deſeruire ad diſtinguendam ſpeciem talis durationis; ſed non diſtinguimus ſpeciem durationis: qui enim euigilat non diſcernit, vtrum ſit duratio huius, vel illius horæ; &c.

Ad 1. Dictum eſt, quod etiam circà diuerſa obiecta non poteſt eadem cognitio eſſe vera ſimul, & falſa, quià bonum ex integra cauſa.

Ad 2. Nego, quod allata iudicia ſint vera ſimul, & falſa, & dico, quod vtrumque ità eſt falſum, vt nullo pacto ſit verum. Ratio eſt, quià iudicium ſemper affirmat aliquod obiectum, & aliquam veri-

veritatem fundamentalem distinctam ab ipso iudicio, vt docet, & probat sanctus Thomas tertio contrà gentes, cap. 27. & alibi; ergo cum Petrus dicit, *Paulus affirmat verum*, sensus est, Paulus habet cognitionem veram veritate fundamentali distincta ab hac ipsa mea cognitione; & quià cognitio Pauli dicentis: *Petrus affirmat falsum*, non habet obiectum affirmatum distinctum à veritate, vel falsitate cognitionis, quam habet Petrus, ideò cognitio Petri est falsa, & etiam cognitio Pauli est falsa ex eadem ratione. Neque ex eo quod sit falsa sequitur, quod sit vera, quià non sequitur, quod detur veritas fundamentali affirmata distincta à tali cognitione; hæc autem veritas requireretur, vt esset vera: Hinc colligitur, quod etiam vterque diceret de altero, quod cogita verum, vterque haberet cognitionem falsam, quià vterque affirmaret dari veritatem fundamentalem, quæ non daretur.

Ad 3. Dico talem cognitionem esse impossibilem, tum quià non haberet obiectum fundamentale distinctum à se tum quia non potest intellectus eodem tempore affirmare aliquod obiectum, simul affirmare cognitionem præsentem qua illud affirmat, esse falsam: eo enim ipso

ipſo ſibi contradiceret : nam affimando obiectum, diceret illud eſſe verum, affirmando falſitatem cognitionis, diceret idem eſſe falſum.

Ad 4. Mutato obiecto, mutatur cognitio; ſed cognitio dicens *Petros nunc ludit*, ſemper mutat obiectum, cum affirmet luſum pro diuerſo iuſtanti; ergo &c. Diſtinguo maiorem; mutato obiecto affirmato per ſe, & ſignatè, mutatur cognitio, concedo maiorem; mutato obiecto affirmato ſolum per accidens, & exercitè, mutatur cognitio, nego maiorem; diſtinguo eodem pacto minorem; & nego conſequentiam. Cùm cognitio mutat obiectum ſolum exercitè, poteſt eadem remanere, vt dictum eſt q. 59. ad quartum, & vt etiam aduerſarij fatentur; ſed cognitio dicens *Petrus nunc ludit* affirmat luſum pro diuerſo inſtanti ſolùm exercitè, & per accidens, vt dictum eſt in probatione ſecundæ concluſionis; ergo poteſt eadem remanere, ità vt ex vera mutetur in falſam, vel è conuerſo.

Ad 5. Si cognitio dicens, *Petrus hic ludit*, replicaretur, ità vt affirmaret exercitè, quod Petrus ludit in duplici loco, eo ipſo eſſet ſimpliciter falſa, quià vt cognitio pro aliquo tempore ſit vera, debet eſſe verum totum id, quod affir-

affirmat etiam exercitè, vt dictum est conclusione prima; sed tum non esset verum totum id, quod affirmat etiam exercitè; ergo ità esset falsa, vt non esset vera. At vt cognitio sit vera vno tempore, non requiritur, vt alio tempore fuerit vera, sicut vt homo vno tempore sit bonus, vel sanus, non requiritur, vt alio tempore non fuerit malus, vel ægrotus.

Ad 6. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Vt enim dictum est quæstione 59. ad primum, bonitas, & malitia moralis conuenit necessariò omnibus actibus voluntatis, qui sunt boni, vel mali; veritas autem, & falsitas conuenit solum contingenter multis actibus intellectus; ergo aliqui actus intellectus contingenter veri possunt mutari in falsos.

Vtrum de futuris contingentibus detur naturaliter determinata veritas in rerum natura, vel solum in diuina præscientia. Quæstio LXI.

VIdetur vera sententia Tullij, & aliorum antiquorum, quod neque in rerum

rum natura, neque in Deo detur determinata veritas de futuris contingentibus, adeoque quod neque à Deo possint certò præsciri, antequam fint; 1. quià si daretur determinata veritas de futuris contingentibus, exem. gr. de peccato crastino Petri, non essent contingentia, sed necessaria, adeoque tolleretur liberum arbitrium; ergo &c. Probatur sequela, quià quod ex aliquo antecedente sequitur necessario, ità vt non possit non sequi, est necessarium; sed si nunc daretur hæc veritas determinata *Petrus cras peccabit*, & sciretur certo à Deo, ex tali veritate, ac diuina scientia antecedente sequeretur, quod Petrus cras peccaret, ità vt non posset non peccare; implicat enim, vt Deo sciēte Petrum peccaturum, Petrus non peccet, cum diuina scientia sit infallibilis; ergo peccatum Petri non esset contingens, & liberum, sed necessarium.

2. Tum causa operatur necessario, & non liberè, cum non potest impedire suum effectum; exem. gr. si Petrus ita peccaret, vt non posset impedire suum peccatum, necessariò, & non liberè peccaret; sed si daretur scientia certa, & determinata veritas de peccato Petri, antequam fiat; Petrus non posset impedire suum peccatum; cum non posset impedire

pedire aliquid necessario connexum cũ peccato, illudque trahēs essentialiter, eo pacto, quo cum quis non potest impedidire illuminationem, quæ trahit essentialiter lucem, non potest impedire lucem; sed non posset impedire diuinam scientiam, quæ trahit essentialiter peccatum; ergo &c. Probatur minor: nihil potest impedire aliquid, quod præcessit tempore, vel æternitate; non enim datur potentia ad præteritum, vt docet Aristoteles approbans dictum Poetæ, *id solum negatum est Dijs, vt factum infectum reddant*; sed diuina scientia præcessit ęternitate peccatum Petri, diuina reuelatio de peccato S. Petri, præcessit tempore eius negationem; ergo &c.

3. Illud, cuius datur veritas determinata, potest sciri saltem à Deo, cui nulla veritas est ignota; sed futurum cõtingēs, e.g. peccatũ crastinũ Petri nec à Deo potest sciri; ergo &c. Probatur minor, quià si posset sciri, vel posset sciri in seipso, vel in causa; non potest sciri in seipso, quià in se ipso nihil est: neque potest sciri in causa, quia causa est indeterminata ad peccandum, vel non peccandum; ergo non potest in causa certo sciri, quod potius peccatum sit futurum, quam non futurum. Confirmatur, quia hęc est ratio, cur nulla creatura

tura possit scire futurum contingens, neque in se ipso, neque in causa; sed hę ratio valet etiam de Deo; ergo &c.

4. Videtur ex opposito, quod non solum detur in diuina præscientia determinata veritas futuri contingentis, sed etiam in rerum natura. Sicut enim futurum non est, sed erit, sic pręteritum non est, sed fuit; sed datur determinata veritas præteritorum contingentium per quam possunt sciri certò, saltem ab Angelis; ergo etiam futurorum.

5 Sicut illa propositio, *Petrus peccauit*, etiam seclusa diuina scientia est vera nunc per peccatum Petri, quod non est, sed fuit, sic hæc propositio *Petrus peccabit*, etiam seclusa diuina scientia est vera nunc per peccatum Petri, quod non est, sed erit; ergo &c.

Respondeo duplex esse futurum, necessarium, & contingens. Futurum necessarium est, quod procedit ex causis naturaliter determinatis ad vnam partem contradictionis, & non indifferentibus ad ponendam vtramlibet; exe.gr. quod sol cras oriatur, quod eclipsetur suo tempore, quod fiant æquinoctia, solstitia &c. sunt futura necessaria, quia causæ sunt naturaliter determinatæ ad ponendam vnam partem contradictionis, & non sunt indifferentes ad vtramlibet

libet; exem. gr. ſol eſt determinatus ad hoc, vt cras oriatur, & non poteſt non oriri. Futurum contingens eſt, quod procedit ex cauſis indifferentibus ad vtramlibet partem contradictionis,& potentibus illud ponere, vel non ponere, prout libuerit, exem gr. quod Petrus cras peccet eſt futurum contingens,quià Petrus eſt indifferens ad peccandum,vel non peccandum, prout libuerit. Certum eſt, quod de futuris neceſſarijs datur determinata veritas, etiam in rerum natura, & in cauſis creatis. Ratio eſt, quià determinatio ad hoc, vt ſol cras oriatur, vt ſuo tempore fiant plenilunia &c. eſt determinata veritas,quod ſol cras orietur &c; ſed in rerum natura, & in cauſis creatis datur determinatio ad hoc, vt ſol cras oriatur &c;ergo &c. Duplex igitur remanet quæſtio circà futura contingentia. Prima eſt, an detur eorum determinata veritas in Diuina pręſciētia. Secunda an detur eorum determinata veritas extrà Deum in rerum natura.

Dico primo: datur in Diuina pręſcientia determinata veritas futurorum contingentium, & poteſt etiam ſupernaturaliter dari in diuina reuelatione. Concluſio eſt de fide, & conſtat ex tota ſacra Scriptura, quæ plena eſt prædictio-

ctionibus futurorum contingentium; sed Deus non potuisset ea reuelare, nisi ea sciuisset per scientiam determinatè veram, & infallibilem; reuelationes etiam diuinæ sunt determinatè veræ, & infallibiles; ergo &c.

Ratione probatur primo, quia intellectus diuinus vtpotè perfectissimus est intellectiuus omnis intelligibilis; sed veritates contingentes sunt intelligibiles; ergo Deus intelligit, & scit etiam veritates contingentes; sed si illas scit, ab æterno scit, nam diuina scientia idétificatur cum diuina æternitate, adeoque est æterna, & non incipit in tempore; ergo Deus scit omnem veritatem contingentem ab ęterno. Confirmatur, quià si Deus non sciuisset ab æterno futura contingentia in tempore, exem.gr. peccata hominum, nunquam illa sciret; repugnat enim, quod de nouo acquirat vllam scientiam; sed est absurdum, quod nunquam sciat: alioquin contingentia scibilia à nobis, non essent scibilia à Deo, à quo oritur omnis scientia; præterea non posset nos præmiari, vel punire pro actibus bonis, & malis, quos nesciret, & sic tolleretur prouidentia rerum humanarum; ergo Deus ab ęterno scit futura contingentia.

Secundo probatur conclusio, & simul

mul assertus ratio, propter quam solus diuinus intellectus possit videre futura contingentia in se ipsis, intellectus creatus non possit. Omnis potentia cognoscitiua potest immediatè certificari de suo obiecto coexistente præsenti nunc, quo durat talis potentia, & eius actus; exem.gr. oculus nunc existens potest immediatè videre albedinem nunc existẽtem, quià albedo nunc existens coexistit præsenti nunc oculi, & visionis; at oculus non potest nunc videre albedinem, quæ cras existet, vel quæ heri extitit, quià albedo, quæ cras existet, vel heri extitit, non coexistit præsenti nunc oculi, sed cras coexistet, atque heri coextitit, ideoque potuit heri videri, & poterit videri cras, non potest videri hodie; sed omnia pręterita, futura, & præsentia coexistunt præsenti nunc, quo durat diuinus intellectus, & quælibet eius cognitio; è conuerso sola præsentia coexistunt pręsenti nunc, quo durat intellectus, & cognitio creata; ergo diuinus intellectus potest nunc, & semper videre in se ipsis omnia præterita, futura, & præsentia, intellectus creatus potest videre sola præsentia, non autem præterita, neque futura. Minor probatur, quià præsens nunc, quo durat modo, & semper diuinus intellectus,

est

est æternitas indiuisibilis, & interminata, non habens principium, neque finem, cuius nulla pars ita præcessit, vt iam non sit amplius, nulla ita expectatur, vt adhuc non aduenerit, sed tota simul manet; sed omnia coexistunt ęternitati interminatæ, ac semper manenti; ergo &c. Probatur minor, quia illud coexistit alicui, quod existit, quando est illud; sed omnia existentia pro qualibet differentia temporis existunt, quando est æternitas; ergo coexistunt æternitati; ergo coexistunt pręsenti nunc, quo durat diuinus intellectus, & eius cognitio; ergo possunt à diuino intellectu videri. E conuerso præsens nunc intellectus creati immediatè ante non fuit, & immediatè post non erit; ergo quæ ante erant non coexistebant pręsenti nunc intellectus creati, qui tunc non erat, quę post erunt, non coexistent ergo pręterita, & futura non possunt nunc videri ab intellectu creato.

Hinc colligitur, quod respectu Dei nihil est præteritum, aut futurum, sed solum præsens inadæquatè. Ratio est, quià præteritum respectu alicuius est, quod fuit, antequam esset præsens nunc, quo illud durat; futurum est, quod erit, quando iam amplius non erit pręsens nunc illius; sed præsens nunc Dei semper

per eſt; ergo reſpectu Dei nihil eſt præteritum, neque futurum, ſed omnia ſunt præſentia. At reſpectu nunc creati quædam ſunt præſentia, quià ſunt, quando illud eſt; quædam præterita, quia fuerunt, antequam illud eſſet; quędam futura, quià erunt, quando illud amplius non erit. Confirmatur, quià ſicut omnia ſunt præſentia diuinæ immenſitati, per quam Deus occupat omnia loca, & nihil poteſt ab illa diſtare; ſic omnia ſunt pręſentia diuinæ ęternitati indiuiſibili, per quam Deus occupat omnia tempora; ergo ſicut Deus videt varia loca creata diſtare inter ſe, & alia eſſe ſuprà, alia infrà, ſed nullum locum videt diſtare à ſua immenſitate, ac reſpectu illius eſſe ſuprà, vel infrà, ante, vel retrò, dextrorſum, vel ſiniſtrorſum; ſic Deus videt varia tempora diſtare inter ſe, ità vt vnum ſit prius, hoc eſt antequam ſit aliud tempus, aliud poſterius, hoc eſt quando non erit amplius aliud tempus, ſed videt nullum tempus diſtare à ſemper pręſente nunc ſuæ æternitatis, ſed omnia tempora eſſe illi pręſentia, hoc eſt exiſtentia, quando illud exiſtit. Addidi tempora omnia eſſe præſentia diuinę ęternitati inadæquatè; ſicut omnia loca ſunt pręſentia diuinæ immenſitati inadęquatè. Nam
ità

ità loca sunt vbi est diuina immensitas, vt non sint vbicumque est diuina immensitas: similiter ità tempora sunt quãdo est nunc diuinę ęternitatis, vt non sint, quandocumque est diuina ęternitas. Hinc est, vt aliud sit coexistere diuinę ęternitati, aliud illi coexistere simpliciter ab ęterno. Coexistere simpliciter ab ęterno est coexistere per existentiã quę sit intrinsecè ęterna, ità vt nunquã inceperit, quod nulli creaturæ competit, ideoque licet omnis creatura coexistat diuinę ęternitati, nulla coexistit illi simpliciter ab ęterno. Tota hęc doctrina desumpta est ex sancto Thoma, prima parte, quęst. 14 art 13. nec Aristoteles contradicit, qui primo perihermenias dum negat dari determinatam veritatem futurorum contingentium, interpretandus est, vt neget illam dari in rerum natura, non autem in Deo.

Dico secundo cum Aristotele: de futuris contingentibus non datur naturaliter extra Deum in natura creata veritas determinata, sed solum indeterminata, ideoque licet propositiones naturales de futuris contingentibus sint determinatè verę, non sunt verę per veritatem, quę sit ipsis intrinseca, vel ita extrinseca, vt detur in natura creata, sed per veritatem, quę datur in sola diuina pręscientia. Pro-

Probatur, quia hæc veritas determita, *Petrus cras peccabit* est essentialiter connexa cum peccato crastino Petri: repugnat enim nunc esse verum, quod Petrus cras peccabit, & quod Petrus non peccet; sed nihil datur in rerum natura essentialiter connexum cum peccato crastino Petri, vel cum alijs futuris contingentibus; ergo &c. Probatur minor, quià vel hoc counexum cum peccato crastino Petri est causa peccati, vel eius effectus, & relatio consequens ad crastinum peccatum; vel aliquid disparatum, quod neque sit causa, neque effectus; non est causa peccati, quià omnes causæ peccati possunt peccatum ponere, vel non ponere, prout libuerit, adeoque non sunt necessariò connexæ cum peccato; non est effectus, quià nullus effectus potest præcedere suam causam, eo pacto, quo nullus hodiè potest dari effectus pluuię crastinæ, & ex eadem ratione non est relatio præsens ad peccatum crastinum; non est aliquid disparatum, quià quod est disparatum, & impertinenter se habens ad peccatum non est essentialiter connexum cum illo; ergo &c. Neque dicas, quod hęc veritas determinata, *Petrus peccabit*, non est aliquid hodie existens connexum cum peccato crastno, sed est ipsum pecca-

tum craſtinum, quod hodiè verificat hanc propoſitionem, *Petrus peccabit*. Nam contrà primo, quià peccatum Petri hodiè non eſt; ſed hæc veritas determinata *Petrus peccabit* non eſt aliud, quam peccatum craſtinum Petri; ergo hæc veritas hodie non eſt; ergo hodiè non datur hæc veritas in rerum natura, ſed ſolum in ſcientia Dei, vel ſi datnr hodiè, diſtinguitur à peccato craſtino, quod hodie non datur, & eſt aliquid connexum cum peccato craſtino. Secundo, ex dictis quæſtione 47. & 49. alius mundus qui non eſt, ſed poteſt eſſe, diſtinguitur à ſuo non eſſe, & à ſua poſſibilitate, quæ ſunt; ergo etiã peccatũ craſtinũ, quod nõ eſt, ſed erit, diſtinguitur à ſua futuritione, per quã nũc denominatur futurũ. De hac futuritione, quæ nũc eſt, quærimus, vtrum ſit aliquid in Deo, vel extrà Deum, & dicimus quod naturaliter non datur niſi in Deo, ideoque in ſolo Deo datur determinata veritas futurorum contingentium, in rerum natura datur veritas indeterminata, per quam verificatur; quod Petrus, vel peccabit, vel non peccabit; hæc autem veritas eſt neceſſitas, & determinatio cauſarum creatarum ad alterutrum. Poteſt tamen ſupernaturaliter extrà Deum dari aliquid neceſſariò cõnexum cum futuris contingentibus, eo

pacto

pacto, quo dantur de facto diuinæ reuelationes necessariò connexæ cum peccatis futuris Antichristi, ideoque dari potest supernaturaliter exra Deum determinata veritas futurorũ cõtingẽtiũ.

Colligitur stultè astrologos iudiciarios quęrere scientiã certã futurorũ cõtingẽtiũ in syderibus, vel in vlla re naturali, cũ neque in syderibus, neque in vlla re naturali existat determinata veritas futurorum, ideoque naturaliter sciri nequeant nisi à Deo. Quis enim nouit sensum Domini? vel consiliarius eius fuit? Possunt tamen sciri ab eo, cui Deus supernaturaliter reuelauerit. Confirmatur, quià vel quęrunt talem scientiam in causis, & cum causę non sint determinatæ ad hoc, vt futura contingentia ponant potius, quam non ponant, non potest in ijs haberi scientia certa, quod determinatè ponent; vel quærunt in signis, existimantes, quod Deus in syderibus, arcanis quibusdam characteribus descripserit futura contingentia; & contra est primo, quià Deus naturaliter non operatur ex scientià futurorũ, vt dictum est quæst. 59. conc. 2; ergo ex præuisione eorum, quæ ego sum liberè facturus, non dedit Cœlo, & syderibus talem dispositionem. Secundo contrà est, quià si in dispositione syderum

 datur

datur certitudo, quod Petrus ſit liberè electurus militiam, vel *Petrus* poteſt impedire talem diſpoſitionem, & certitudinem, & eſt abſurdum, quod *Petrus* non eligendo militiam potuerit facere, vt ſydera aliter diſponerentur, quam ſint diſpoſita de facto; vel non poteſt impedire, & tollitur libertas, quià datur neceſſitas inimpedibilis, vt *Petrus* eligat militiam. Tertio contrà eſt, quià peto, vnde colligant Aſtrologi, quod Deus in ſyderibus deſcripſerit euentus hominum liberè futuros? Vel id colligunt ex ratione naturali, & contrà eſt, quià ratio naturalis pugnat in oppoſitum; oſtendit enim, quod ſicut pluuia futura anno ſequente non poteſt eſſe ratio, cur hoc anno flores habuerint talem diſpoſitionem in pratis, ſic euentus liberè futuri non poſſunt eſſe ratio, cur ab initio mundi ſydera habuerint talem diſpoſitionem in Cœlo; prętereà oſtendunt, quod euentus irregulares non poſſunt certa lege reſpondere regulatiſſimis motibus Cœlorum, ac ſyderum. Vel id colligunt ex diuina reuelatione, & etiam ſcripturæ pugnant in oppoſitum. Deus enim in ſignum ſuę diuinitatis affert, quod poſſit futura contingentia prędicere, cum dęmones loquẽtes per idola, & ariolos ethnicorum non

non possint; sed si in cœlo, & syderibus essent scripta futura contingentia, etiam dęmones per idola possent illa prędicere; ergo &c. Vel colligunt ex inductione, & experientia ostendit prędictiones Astrologorū ferè semper esse falsas; ergo quando sunt verę, casualiter sunt veræ, eo pacto, quo si futura contingentia temerè prędicantur, & sine vlla arte, aliquando casualiter continget, vt euentus respondeat prædictioni. Cognitio igitur certa futurorum contingentium haberi non potest sine reuelatione diuina, non solum ex defectu nostri intellectus, sed etiam ex defectu scibilitatis naturalis obiecti, cum non detur in natura creata determinata scibilitas ipsorum. Ideò in prędictionibus Astrologorum incurritur falsitas, non solum ex defectu Astrologorum non benè tenentium artem, sed ex defectu ipsius astrologiæ, quę est fallax, & omninò falsa, inquantum promittit certitudinem, & infallibilitatem prędictionum. Non tamen negatur posse haberi áliquam cognitionem probabilem futurorum contingentium, non tam ex dispositione cœli, & syderum, quam ex dispositione causarum liberarum, & politicarum, eo pacto, quo multi probabiliter conijciunt, an aliquis sit euehédus,

dus, vel nõ euehẽdus ad aliquã dignitatẽ.

Ad 1. Nego ſequelam; ad probationem, diſtinguo maiorem; quod ſequitur itä, vt non poſſit non ſequi ex aliquo antècedente tempore, vel æternitate, ſed impedibili, adeòque ſimpliciter conſequente, eſt neceſſarium, nego maiorem; ſi ſit inimpedibile, atque adeò ſimpliciter antecedens, concedo maiorem; diſtinguo eodem pacto minorem; & nego conſequentiam. Duplex eſt neceſſitas, vt innuit Ariſtoteles propè finem primi perihermenias: antecedens, ſiuè inimpedibilis, & conſequens, ſiuè impedibilis. Neceſſitas cõſequẽs eſt neceſſitas impedibilis à libero arbitrio, atque adeò cõſequens aliquo pacto liberam determinationẽ; & hęc non tollit, ſed ſupponit libertatẽ. Ex g. cũ ego ſedeo, habeo neceſſitatẽ nõ ambulãdi Seſſio enim eſt neceſſitas non ambulandi, quando ſedeo, cum non poſſit dari ſimul ſeſſio, & ambulatio; ſed ſeſſio eſt neceſſitas ſolum conſequens, quià ego liberè ſedeo, & poſſum non habere ſeſſionem, quæ eſt neceſſitas non ambulandi, ſed habere oppoſitam ambulationem. Secunda eſt neceſſitas antecedens; & inimpedibilis à libero arbitrio, & hęc tollit libertatem. Ex. gr. homo carens alis habet neceſſitatem non volandi, & hęc neceſſitas eſt ante-

antecedens, & inimpedibilis ab homine, cum non ſit in poteſtate hominis habere alas aptas ad volandum. *In* caſu noſtro ex ſcientia, quam Deus habet de peccato craſtino *Petri*, ſequitur neceſſariò, quod *Petrus* cras peccet, ſed hęc neceſſitas eſt impedibilis à *Petro*, atque adeò conſequens. Nam *Petrus* non peccando poteſt facere, vt Deus ab ęterno non habuerit ſcientiam de tali peccato, ſed de carentia peccati. Deus enim ideò ſcit *Petrum* peccare, quia *Petrus* peccat potens non peccare; ergo *Petrus* non peccando poteſt facere, vt Deus non ſciat, quod peccat, ſed ſciat oppoſitum, quod nimirum abſtinet liberè à peccato. In idem recidit diſtinctio de ſenſu compoſito, & diuiſo legitimè applicata. *Poſita* enim ſcientia de meo peccato, datur in me neceſſitas peccandi in ſenſu compoſito cum tali ſcientia, quià poſito, quod detur ſcientia de peccato, non poſſum ſimul cum tali ſcientia coniungere negationem peccati; at non datur neceſſitas in ſenſu diuiſo à tali ſcientia, quià datur in me poteſtas non peccandi, & non peccando impediendi ne detur, aut data fuerit ſcientia peccati.

Ad 2. Nego minorem; ad probationem, nego ſimiliter minorem: ad probatio-

bationem distinguo maiorem; nihil potest impedire aliquid, quod præcessit æternitate, si totum, & totaliter sit præsens, nego maiorem; si non sit præsens, concedo maiorem; distinguo eodem pacto minorem. & nego consequentiam. Licet scientia Dei præcesserit æternitate peccatum meum, adhuc tota, & totaliter est præsens peccato meo secundum totam suam durationem, ideòque ego non peccando possum impedire talem scientiam, sicut possum impedire alias cognitiones præsentes de meo peccato. Addo, quod liberum arbitrium non potest impedire immediatè scientiã; sed suum actum liberum, qui supponitur obiectiuè à scientia, & sic potest immediatè impedire scientiam. Ad aliam propositionem: nihil potest impedire id, quod tempore præcessit, distinguo; non potest impedire immediatè, transeat; non potest mediatè, & impediendo aliquid præsens, à quo pendeat illud præteritũ, nego. Impediendo diuinam scientiam præsentem de peccato, possum impedire præteritam reuelationem eiusdem, quæ determinatur, ac pendet à diuina scientia sibi præsente. Aristoteles dum dixit nõ dari potentiam ad præteritum, intelligendus est, quod non datur potentia ad præteritum ex suppositione, quod sit

sit preteritum, & in sensu composito cu hoc, quod sit præteritum; datur tamen potentia impediendi suppositionem, quod sit preteritum. *Preterea* non datur potentia immediata ad preteritum, quod simul non sit presens, vt explicatum est.

Ad 3. Concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem, dico cum sancto Thoma p.p. quęst. 14. artic. 9. in c. quod Deus cognoscit futura contingentia, non in causis, quę non sunt determinatę, sed in seipsis. Dum opponitur: futurum contingens in se ipso nihil est; ergo; distinguo, futurum contingens in se ipso nihil est in nunc æternitatis, nego; nihil est in nunc creaturarum, concedo; & nego consequentiam. Ideò ego non possum nunc videre peccatum crastinum *Petri*, quia peccatum crastinũ nihil est in meo pręsenti nunc, cum non existat, quando est hoc nunc; sed peccatum crastinum *Petri* existit in nũc infinito diuinę æternitatis; ergo potest à Deo nunc, & semper videri vt pręsens suo nunc, eo pacto, quo ego possum nunc videre quod existit in meo nunc pręsente, vt fusius explicatum est in 2. probatione 1. concl.

Ad 4. Disparitas inter præteritum, & futurum est, quod preteritum remanet in rerum natura in aliquo effectu

ſui, qui eſt determinata veritas pręteriti; at futurum non datur in vllo effectu ſui extrà Deum, ſed ſolùm in diuina ſcientia, vt dictum eſt concl. 2.

Ad 5. Concedo, quod hęc propoſitio *Petrus peccauit*, etiam ſecluſa diuina ſciẽtia, nunc eſt vera, non per peccatum pręteritum, quod non eſt, ſed fuit, ſed per aliquid pręſens relictum à peccato, & eſſentialiter connexum cum tali peccato; ſed ſecluſa diuida ſcientia, nihil datur eſſentialiter connexum cum peccato futuro, vt dictum eſt concluſione ſecunda; ergò ſecluſa diuina ſcientia, propoſitio, qua dico, Petrus peccabit, non eſt nunc determinatè vera.

QVAESTIONES

In libros priorum, & poſteriorum, de ſyllogiſmo, demonſtratione, & ſcientia.

Ordo diſputandorum.

POſt duos libros perihermenias ſubiungit Ariſtoteles quatuor libros de analyſi, ſeu de reſolutione. Reſolutio ex dictis quęſtione decima ſeptima eſt progreſſus, quo propoſita concluſione

ne progredimur ad inuestiganda principia, quibus probatur. Et quia Aristoteles in his libris inuestigat principia, quibus probari possit quęlibet conclusio, ideò vocat illos analyticos, seu resolutorios. Duplex est resolutio, formalis, & materialis. Formalis est inuestigatio principiorum, ex quibus necessario sequatur conclusio, pręscindendo ab hoc, quod sit in materia vera, vel falsa, certa, vel incerta: & hanc resolutionem vocat Aristoteles priorem, ac de ea agit in libris priorum. Quærit enim principia, ex quibus conclusio inferatur necessario, pręscindendo à veritate, & falsitate, & attendendo solam necessitatem illationis ex forma, hoc est ex dispositione præmissarum, ac terminorum: & quia dispositio præmissarũ, ac terminorum, ex qua necessario inferatur cõclusio, est syllogismus, ideò agit de syllogismo secũdum formam, pręscindendo à veritate, vel falsitate. Resolutio materialis est inuestigatio principiorum, ex quibus sequitur necessario conclusio vera, & certa, per quam sciatur obiectum, & hanc Aristoteles vocat posteriorem resolutionem. Quià verò oratio, in qua ex principijs sequitur necessario conclusio vera, & certa, per quam sciatur obiectum, est demonstratio, ideò in libris posterio-

rum agit de demonstratione, ac de sciētia, quæ est effectus demonstrationis.

Postularet ordo doctrinæ, vt ageremus de definitione syllogismi, de principijs, ex quibus regulatur, de regulis, figuris, ac modis syllogismorum, ac de pluribus alijs, de quibus fusè, ac demonstratiuè tractat Aristoteles in libris priorum. Sed quià de ijs satis egimus in summulis, solum ponimus quasdam quæstiones, quæ à recentioribus examinari solent hoc loco. Quià ergo syllogismus est quidam discursus, primo quærimus, vtrum discurrere sit proprium solius hominis; secūdo vtrum in discursu præmissæ præcedant tempore, vel causalitate conclusionem, & ad illam necessitent; tertio vtrum ad conclusionem inferendam requiratur actus indiuisibilis tendens in vtramque præmissam, & cognitio de bonitate illationis; quarto vtrum conclusio reflectat suprà obiecta præmissarum; quinto an detur scientia de nouo, vel sit sola reminiscentia; sexto vtrum conuenienter assignentur præcognita, subiectum, prędicatum, ac medium demonstrationis potissimę; septimo vtrum detur & sit vtilis regressus demonstratiuus; octauo demum, vtrum possit in eodem intellectu stare simul actus scientiæ, & opi-

opinionis; & per hæc logicam absoluimus, cum alias quæstiones de demonstratione, & scientia, eiusque principijs fusè examinauerimus in prooemialibus.

Vtrum discurrere sit proprium solius hominis. Quæstio LXII.

VIdetur vera sententia Scoti, & Gregorij, quos refert Vasquez prima parte disp.222. capite primo, quod non solum homines, sed etiam Angeli possint propriè discurrere; 1. quià tum intellectus propriè discurrit, cum à veritate per se nota procedit ad veritatem per se non notam; sed etiam intellectus Angelicus à veritatibus per se notis procedit ad veritates per se non notas; ergo &c. Probatur minor; veritates circà futura necessaria, exem. gr. circa eclipsim futuram, &c. non sunt per se notæ vlli intellectui creato; cum enim futura per se nihil sint, non possunt per se innotescere; ergo solum innotescunt per causas, in quibus est determinatio talium effectuum futurorum; ergo Angelus à causis per se notis, vtpotè existentibus, procedit ad cognitionem effectuum non existentium, ac non notorum

per

per se, adeoque discurrit.

2. Ex causis, & signis per se notis conijcere probabiliter aliquid per se nō notum, est propriè discurrere; sed Angeli tum boni, tum mali secreta cordiū per se non nota, & liberos euentus futuros possunt probabiliter conijcere ex causis, ac signis per se notis; ergo &c.

3. Si dicatur, quod licet Angeli cognoscant veritates per se non notas in veritatibus per se notis, adhuc non discurrunt, quià per eundem actum, quo cognoscunt veritates per se notas, cognoscunt in ijs veritates per se non notas; ad discursum verò proprium, & formalem requiritur, vt veritates per se non notæ, cognoscantur per actum diuersum: contrà est, quià dæmones possunt probabiliter assentiri veritatibus per se non notis circà secreta cordium, circà futura contingentia; exem. gr. potest dæmon probabiliter conijcere ex signis, quod aliquis incidet in peccatum, quod morietur impœnitens, & damnabitur &c; sed talibus obiectis non assentitur per eumdem actum, quo cognoscit signa, in quibus probabiliter apparent; ergo &c. Probatur minor; cognitio, qua aliquid cognoscitur euidenter, adeoque independenter à libero impe-

imperio voluntatis, non potest identificari cum cognitione, qua aliud in ipso cognoscitur solum probabiliter, adeoque dependẽter à libero imperio voluntatis; sed cognitio, qua dæmon cognoscit signa peccati, & eius probabilitatẽ, est euidens; ergo cognitio ineuidens, qua peccatũ affirmat probabiliter, adeoque dependenter à libero imperio voluntatis, non identificatur cum priori cognitione.

Respondeo, quod ex sancto Thoma, prima parte, quęst. 14. art. 6. in corp discursus duplex est. Primus consistit in sola successione cognitionum, per quam vna cognitio succedit post alteram: vt cum aliquis postquam cogitauit de Petro, incipit cogitare de Paulo. Hic discursus non solum inuenitur in hominibus, sed etiam in Angelis, qui possunt habere vnam cognitionem post aliam: soli Deo repugnat, vtpotè qui semper cognoscit omnia, & est incapax cuiuscumque successionis.

Secundo discursus propriè dictus est collectio notitiæ, seu cognitionis iudicatiuæ de re secundum se non nota ex alia notitia priori, saltem natura, & causalitate; e.gr. cum ego videns fumum, arguo, quod sit ignis, discurro, quia colligo notitiam de igne secundum se non

non noto ex notitia de fumo noto secũdum se, cum illum videam. Duæ ergo ad discursum propriè dictum requiruntur conditiones. Prima est, vt sit notitia rei secundum se non notæ; notitia quippe, per quam aliquid est notum ex se, colligi non potest ex alia notitia. Secunda est, vt hæc notitia colligatur ex alia notitia priori saltem natura, atque ideò requiritur realis distinctio notitiarum, & cognitionum, & realis causalitas, per quam vna notitia colligatur ex alia. Ex vtroque capite discursus propriè dictus repugnat Deo, vt docet sanctus Thomas loco citato. Nam & Deo omnia sunt nota per se, & vna notitia Diuina non causatur ab altera, quãdoquidem omnes identificantur. Quæritur, an in Angelis dari possit discursus proprius.

Dico cum sancto Thoma prima parte quęst. 58. artic. 3: non potest in Angelis dari naturaliter proprius discursus.

Probatur, quià ad discursum proprium requiritur, vt notitia rei secundum se nõ notæ causetur à notitia priori; sed licet Angelus possit cognoscere multa secundum se non nota, exem. gr. potest cognoscere futuram eclipsim, quę cum nunc nihil sit, non est per se nota sed solum in causis, in quibus datur de

termi-

terminatio ad illam; potest prætereà in causis cognoscere coniecturaliter multa futura contingentia; potest in signis, & indicijs conijcere secreta cordium, quæ secundum se non sunt Angelo nota &c. tamen istę notitię non causantur à notitia priori; ergo non sunt discursiuę propriè. Probatur, & explicatur minor; nam differentia inter Angelos, hoc est mentes cælestes, vt vocantur à sancto Dionysio, & homines, hoc est mentes terrestres, & inferiores est similis differentię, quæ datur inter corpora cælestia, & corpora inferiora, seu terrestria. Corpora cælestia in primo sui esse sunt perfecta, & statim perfectè operantur, nec acquirunt perfectionem sui esse, ac suæ operationis per motum, progrediendo ab imperfecto ad perfectum; è conuerso corpora inferiora producuntur imperfecta, & paulatim acquirunt perfectionem in esse, & operando, vt patet inductione in hominibus, brutis, ac plantis. Sic intellectus cęlestes in primo sui esse sunt perfecti, & in prima sui operatione sunt perfecti, & faciunt operationem perfectam; ergo prima cognitio, per quam cognoscunt causam eclipsis, penetrat perfectè talem causam, atque adeò per eamdem cognitionem in ipsa cognoscunt eclipsim; ergo

go non inferunt distinctam cognitionem de eclipsi, atque adeò non discurrunt. Similiter etiam cognoscēdo causas liberas, hac ipsa cognitione conijciunt futura contingentia, & eorum probabilitatem sine vllo discursu. At intellectus humanus, & terrestris in primo sui esse est imperfectus: habet primam cognitionem causarum imperfectam, ideoque per primam cognitionem non cognoscit effectum in causis, & conclusionem in principijs, sed paulatim discurrendo cognoscit effectum ex causis, & conclusionem ex principijs per cognitiones distinctas. In hoc verò consistit differentia hominis ab Angelo. Homo enim est rationalis, hoc est propriè discursiuus: Angeli non sunt propriè rationales, nec discursiui, sed purè intellectiui, ideoque vocantur Intelligentię.

Ex eodem principio infert sanctus Thomas Angelum non esse compositiuũ prædicati cum subiecto, neque diuisiuũ. Fatenus enim nos componimus prædicatum cum subiecto, quatenus prima cognitio subiecti est imperfecta, & non cognoscit quæcumque cognoscibilia sũt à nobis de tali subiecto; sed prima cognitio, quam habet Angelus de quocumque subiecto, est perfecta, & cognoscit quid-

quidquid est ab illo cognoscibile de tali subiecto; ergo non relinquit locum compositioni, ac diuisioni. Quarè cognoscit Angelus vnum sequi ex alio, sed non infert vnum ex alio; cognoscit vnum componi cum alio, sed non componit vnum cum alio.

Potest tamen concedi, quod Angelo competat discursus virtualis, qui definitur, cognitio rei secundum se non notæ in altera re. Hoc discursu cognoscit futura necessaria in causis, & alia, de quibus attulimus exemplum. Per hũc discursum Beati vident in Deo per visionem beatificam plura secundum se nõ nota. Hic discursus virtualis repugnat Deo; quià licet cognoscat effectus in causis, tamen cum ipsi effectus sint Deo noti per se, non cognoscit in causis obiectum secundum se non notum. Si tamen nomine discursus virtualis intelligamus cognitionem, per quam vnum cognoscimus in alio, quamuis sit secundum se notum, in hac acceptione impropria, in qua videtur discursum virtualem sumpsisse Arriaga, Deus discurrit virtualiter, cum cognoscat effectus in causis.

Ad 1. & 2. Non sufficit ad discursum formalem, vt veritas per se non nota cognoscatur in veritate per se nota, sed debent

debent cognitiones distingui ità, vt vna inferatur ex alia. At verò Angeli per eamdem cognitionem cognoſcunt veritates per ſe notas; & in ipſis veritates per ſe non notas, ideoque per diſcursũ non formalem, ſed virtualem, vt explicatum eſt.

Ad 3. Concedo quod cum dæmones aſſentiuntur alicui obiecto per iudicium merè probabile, tale iudicium, vtpotè dependens ab imperio voluntatis, diſtinguitur à cognitione euidente, qua cognoſcunt ſigna, & probabilitatem talis obiecti independenter ab imperio voluntatis; ſed nego, quod talis actus probabilis ſit propriè diſcurſiuus. Ratio eſt, quià ad diſcurſum requiritur, quod vna notitia deducatur ex alia, & non ſufficit, quod fiat, & imperetur poſt aliam. Cum verò intellectus dæmonis, poſtquam in ſignis cognouit euidenter probabile eſſe, quod Petrus peccabit, liberè credit, quod de facto peccabit, non infert peccatum ex probabilitate, ſed ex cognitione de probabilitate procedit liberè ad iudicium probabiliter affirmans peccatum, adeoque non diſcurrit propriè.

Vtrum præmissæ præcedant tempore, vel causalitate conclusionem, & ad ipsam necessitent. *Quæstio LXIII.*

PRimo videtur, quod pręmissæ non præcedant tempore conclusionem; causa enim necessaria ad producendum suum effectum non debet expectare aliquam moram temporis, sed statim, ac est, producit effectum: exem. gr. Sol statim producit in se suam lucem; sed præmissæ sunt causæ necessariæ conclusionis; ergo statim, ac sunt causant conclusionem, nulla mora temporis interposita,

2. Videtur, quod præmissæ non concurrant ad conclusionem vt causę efficientes, sed solum, vt conditiones purè determinantes, vt cum alijs docet Arriaga dispul. 15. logicę sect 5. Nam ità se habent præmissæ in ordine ad determinandum intellectum ad conclusionem, sicut se habet approximatio in ordine ad determinandum ignem ad calefactionem; sed approximatio est pura conditio; ergo etiam præmissæ.

3. Videtur, quod præmissæ non

ità

ità necessitent intellectum ad assentiendum conclusioni, vt non possit saltem ex imperio voluntatis conclusionem suspendere, vt docet Ruuius, capite primo, Auersa quæst. 25. sect. 2. & quidam alij. Intellectus enim enim est subiectus imperio voluntatis, vt patet in actibus obscuris, & probabilibus; ita enim credimus mysteria fidei obscurè proposita, vt possimus non credere, ideoque meremur credendo, & Hæretici non credendo peccant; obiecta etiam probabilia credimus ità, vt possimus non credere; ergo etiam post assensum præmissarum potest intellectus ex imperio voluntatis suspendere assensum conclusionis. Confirmatur, quià ex eo, quod intellectus assentiatur magis notis, non necessitatur ad assentiendum minus notis; sed conclusio est minus nota, quam præmissæ; ergo &c.

Respondeo, ac dico primo cum sancto Thoma prima parte, quæst. 14. art. 6. in corpore: præmissæ præcedunt tempore conclusionem, saltem cum infertur prima vice, licet debeant durare, cum conclusio deducitur. Verba S. Thomæ sunt *procedentes enim à principijs ad conclusionem, non simul vtrumque considerant.*

Probatur, quià qui non benè penetrat

rat præmiſſas, non poteſt ex illis colligere concluſionem; ex hoc enim oritur, vt multi ingenio habetes neſciant diſcurrendo vnum inferre ex alio, quià nimirum non benè penetrant ea, ex quibus deberent inferre; ſed intellectus humanus ad benè penetrandum obiectum indiget mora temporis, vt patet experientia; prima enim cognitio, quam habemus de quocumque obiecto, eſt valde imperfecta, paulatim verò perficitur conſideratione; ingenia verò celeria in hoc differunt ab hebetoribus, quod illa citius, iſta tardius penetrant obiecta propoſita; ergo ad hoc, vt aliquis ex pręmiſſis colligat concluſionem, debet aliquam moram temporis inſumere in penetratione præmiſſarum.

Confirmatur experientia; quis enim eſt, qui propoſito nouo argumento, vel diſcurſu, non hęreat aliquantiſper in penetratione præmiſſarum, antequam ex illis concluſionem inferat.

Probabile tamen eſt, quod cum aliquis alijs vicibus intulit concluſionem ex præmiſſis, poſſit eodem tempore præmiſſas elicere, ac concluſionem ex illis inferre, quià iam ex alijs actibus acquiſiuit ſpeciem perfectè repræſentantem pręmiſſas; ergo vtens tali ſpecie poteſt illas benè penetrare in primo inſtanti

ſed

ſed cum benè penetrat pręmiſſas, pote colligere concluſionem; ergo præmiſſ non præcedent tempore concluſionem. Regulariter tamen tales diſcurſus inſtã tanei non ſolent dari, ſed ſolet interue nire aliqua mora temporis. Addidi præ miſſas debere durare in intellectu eo tẽ pore, quo colligit concluſionem ex il lis, quià non poteſt intellectus colliger nunc vllam notitiam ex alia notitia, qu nunc non habet amplius, ſed habuit exem. gr. quomodo poſſum colligere nunc notitiam ignis ex notitia fumi, nunc non habeo notitiam fumi; erg cognitio præmiſſarum durare debet in intellectu toto tempore, quo ex illis col ligitur concluſio; & per hoc præmiſſæ mentales differunt à vocalibus, quo præmiſſæ vocales non durant ſimul cun concluſione, præmiſſæ mentales duran ſimul cum concluſione.

Dico ſecundo cum ſententia commu niore; præmiſſæ concurrunt ad conclu ſionem tamquam cauſæ, & non vt pur conditiones. Probatur, quià quò concurrit ad effectum, aſſimilando illum ſibi in pluribus prædicatis, concurri vt cauſa, vt dicetur in phyſica; ſed præ miſſę concurrunt ad concluſionem, aſſi milando illam ſibi in pluribus prædica tis; ex præmiſſis enim certis ſequitui

conclu-

conclusio certa, ex incertis incerta; ergo &c. Hinc colligitur, quod etiam simplex apprehensio concurrit ad iudicium, non vt mera conditio, sed vt causa, quià iudicium assimilatur apprehensioni in claritate, obscuritate, & in pluribus alijs prædicatis. Probabile est etiam quod cognitio concurrat ad volitionem vt causa ex eadem ratione.

Dico tertio cum sententia, quæ videtur S. Thomæ prima parte quæst. 82. art. 2. in corpore, & Scoti in primo, dist. 1 quęst. 4: præmissæ necessitant ad conclusionem non solum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, nisi sit impedimentum. Vt probetur conclusio, explicandum est prius, quid sit necessitas contrarietatis, seu quoad specificationem, quid necessitas contradictionis, seu quoad exercitium.

Necessitas contradictionis, & quoad exercitium est, per quam aliquis necessitatur ad actum faciendum, ità vt non possit non facere, ideoque non habet potentiam faciendi, aut non faciendi actum, quæ est potentia contradictionis, cum facere, & non facere sint contradictoria, sed habet solum potentiam, ac necessitatem faciendi, ideoque necessitatur ad exercitium actus. Ità visio beatifica, per quam Beati vident Deum

esse bonum infinitum, necessitat illos ad amandum Deum necessitate contradictionis, & quoad exercitium, cum Beati non possint non amare Deum, & non exercere actum amoris.

Necessitas contrarietatis, & quoad specificationem est, per quam licet aliquis possit actum facere, ac non facere, necessitatur tamen ad non faciendum actum oppositum, & contrarium; exem. gr. posito, quod aliqnis efficaciter nolit peccare, adhuc habet pro eo instanti potentiam contradictionis amandi Deũ, vel non amandi, sed non habet potentiam contrarietatis, quià non potest facere actum odij contrarium amori; eo enim ipso peccaret, ideoque habet necessitatem ad speciem actus, quià non potest exercere nisi actum amoris, cum actum odij exercere non possit; non habet necessitatem ad exercitium actus, quià potest actum amoris exercere, vel non exercere, prout libuerit.

Certum est intellectum ab assensu præmissarum in forma dispositarum, si penetret vim formæ syllogisticæ, necessitari ad conclusionem quoad specificationem, ità vt non possit simul assentiri præmissis, dicendo illas esse veras, ac dissentire conclusioni, dicendo conclusionem esse falsam. Ratio est, quia non

non potest intellectus assentiri falso euidenti; sed quod præmissæ sint verę, conclusio sit falsa, est euidenter falsum penetranti formam syllogisticam: ergo penetrans formam non potest affirmare quod præmissæ sint verę, conclusio sit falsa.

*P*robatur igitur, quod etiam necessitetur quoad exercitium, ità vt non possit per imperium voluntatis suspendere assensum conclusionis. Non potest voluntas impedire assensum veri euidentis; sed si posset impedire assensum conclusionis, posset impedire assensum veri euidentis; ergo &c. Probatur maior, primò quià omnis potentia intentionalis necessariò, & inimpedibiliter mouetur à suo obiecto puro, ac sufficienter proposito: exem. gr. potentia visiua necessario, & inimpedibiliter mouetur ab obiecto visibili sufficienter proposito, nec potest voluntas facere, vt apertis oculis non videamus lucem meridianam, idemque dic de alijs sensibus; voluntas ipsa necessario mouetur à bono puro sine vlla admixtione mali, cum sufficienter proponitur, nec potest non amare purum bonum; sed verum euidens est purũ obiectum intellectus, cum nulla in eo appareat falsitatis admixtio, vel suspicio, sicut apparet in vero ineuidente, ac probabili

babili; ergo non poteſt voluntas impedire intellectum ab aſſenſu veri euidentis. Ratio à priori eſt, quià licet voluntas ſuprà potentiam motiuam habeat imperium deſpoticum, ità vt poſſit illam determinare ad motus etiam malos potentiæ motiuæ, tamen ſuprà potentias intentionales, ac præſertim ſupra intellectum non habet imperium deſpoticū, ſed politicum, & quaſi regale, ità vt poſſit intellectum mouere in bonum, non autem in malum intellectus. Ideò non poteſt intellectum determinare ad aſsẽtiendum falſo vt falſo; poteſt tamen determinare ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum probabili, quià bonum eſt intellectui non ex ſe neceſſitari ad aſſẽſum ab obiecto, quod poteſt eſſe falſum, quale eſt obiectum probabile, ſed indigere determinatione voluntatis; ſed verum euidens non poteſt eſſe falſum, neque vlla in eo apparet ſuſpicio falſitatis; ergo non poteſt voluntas impedire intellectum ab aſſenſu veri euidentis. Confirmatur à poſteriori: videat enim vnuſquiſque, an poſſit non aſſentiri his veritatibus euidentibus, *quatuor & tria faciunt ſeptem*; *dolor eſt quoddam malum*, &c. Alioquin poſſemus impedire dictamen conſcientię, quo credimus nos obligari ad aliquid faciendum, & ſic liberare

berare nos ab omni obligatione, quę non datur, nisi conscientia dictet illam dari; possemus etiam suspendere iudicium de certitudine, vel probabilitate malorum imminentium, & sic non tristari de illis; e.g. damnatus ad suspendium posset impedire iudicium de suspendio, & eius probabilitate, & sic non tristari de suspendio, quę sunt absurda, & contrà experientiam. Probatur igitur minor primi argumenti, quià cum pręmissæ sunt euidentes, etiam conclusio est euidens; ergo si voluntas impediret assensum talis conclusionis, impediret assensum veri euidentis. Sed difficultas est, cum pręmissæ sunt solum probabiles: tum enim conclusio materialis est solum probabilis. Adhuc tamen dico, quod voluntas posito assensu pręmissarum, non potest impedire assensum talis conclusionis, si deducatur in forma syllogistica. Ratio est, quià est impossibile, vt intellectus affirmet dari necessitatem, vt aliquid sit verum, quin affirmet illud esse verum; sed cum affirmat premissas etiam merè probabiles, penetrans vim formæ syllogisticę, affirmat dari necessitatem, vt conclusio sit vera; nam penetrare vim formæ, est habere euidentiam, quod pręmissæ non possunt esse verę, quin conclusio sit ve-

ra, adeoque quod veritas præmissarum est necessitas veritatis conclusionis; ergo non potest intellectus assentiri præmissis, & non assentiri conclusioni. Confirmatur experientia: videat enim quis, an possit mater probabiliter credere premissas, ex quibus euidenter sequitur mortuum esse filium, & tamen suspēdere assensum conclusioni de morte filij. Confirmatur secundò, quià non potest voluntas velle aliquid, cum quo videt aliud esse connexum, nisi illud acceptet; ex.gr. non potest aliquis velle sumere venenum, videns euidenter, quod cum veneno necessario, & inimpedibiliter est connexa mors, quin acceptet mortem; ergo non potest intellectus assentiri veritati premissarum, cum quibus videt esse necessariò connexam veritatem conclusionis, quin acceptet veritatem conclusionis; sed acceptare est assentiri; ergo.

Addidi in conclusione, quod intellectus necessitatur, nisi sit impedimentum, quià cum aliunde habemus notitiam omninò euidentem de veritate conclusionis, impedimur, ne illam credamus propter premissas; e.g. licet ego habeam istas premissas, *Petrus dicit nunc me existere; sed dicit verum*; adhuc non infero conclusionem; *ergo existo*, vt magis explica-

plicabitur quæstione vltima.

Ad 1. Distinguo maiorem; causa necessaria, si statim sit perfecta, non debet ad producendum effectum expectare moram temporis, concedo; si non statim sit perfecta, nego; distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Causę, quę statim sunt perfectę, vt Sol, & corpora cęlestia, possunt statim producere suum effectum, e.g. suam lucem. At causę, quę in primo sui esse sunt imperfectę, & paulatim perficiuntur, non producunt statim suum effectum: exempli gratia animalia, & plantę non statim producunt suum effectum; sed pręmissę non statim sunt perfectę, vt dictum est; ergo.

Ad 2. Nego maiorem. Disparitas est, quià calefactio non assimilatur approximationi; sed conclusio assimilatur pręmissis; ergo licet calefactio procedat ab approximatione tanquam à mera conditione, conclusio procedit à pręmissis, tamquam à causis. Proprium enim causę est assimilare effectum sibi.

Ad 3. Patet ex dictis, quod intellectus est subiectus voluntati quo ad actus ineuidentes, in quibus appareat suspicio falsitatis, non quoad euidentes, vt explicatum est. Ad confirmationem dico, quod à magis notis potest intelle-

ctus necessitari ad assentiendum minus notis, si sint euidentia, vel euidenter connexa cum magis notis, adeoque sufficienter nota.

Vtrum ad conclusionem inferendam requiratur actus indiuisibiliter tendens in vtramque præmissam, & cognitio de bonitate illationis. Quæstio LXIV.

PRimo videtur, quod ad conclusionem inferendam non requiratur actus indiuisibiliter tendens in vtramque præmissam obiectiuam. Duę enim cognitiones attingentes duas pręmissas obiectiuas seorsim possunt determinare ad cognitionem attingentem indiuisibiliter complexum ex vtraque pręmissa; ergo possunt etiam immediatè determinare ad conclusionem non media tali cognitione indiuisibili.

2. Videtur, quod non requiratur cognitio de bonitate illationis. Vel enim requireretur cognitio de bonitate logica, & artificiali illationis, vel de bonitate naturali, & obiectiua; neutrum dici potest; ergo &c. Minor probatur, nam cognitio de bonitate logica illationis

nis est, qua cognoscitur, quod conclusio legitimè infertur secundum præcepta logica; sed non requiritur, vt quis cogitet de pręceptis logicis; ergo &c. Cognitio de bonitate obiectiua illationis consistit in hoc, vt cognoscatur, quod conclusio necessariò sequitur ex præmissis; sed actus cognoscens conclusionem necessariò sequi ex pręmissis est ipsa cõclusio formalis, ad conclusionem verò non pręrequiritur conclusio; ergo non pręrequiritur cognitio de bonitate illationis obiectiuę.

Respondeo, ac dico primò, quod ad conclusionem inferendam pręrequiritur actus indiuisibiliter tendens in vtramque pręmissam obiectiuam. Probatur, nam vt intellectus inferat conclusionem, debet præcognoscere obiectum connexum cum conclusione; sed obiectum connexum cum conclusione, ità vt non possit esse verum, quin conclusio sit vera, est complexum vtriusque pręmissę, singulę verò præmissę seorsim sumptę non sunt obiectum connexum; ergo debet præcognoscere veritatem complexi; non potest præcognoscere, nisi per vnicum actum indiuisibilem; ergo &c. Confirmatur, nam in syllogismo vocali post maiorem subiungimus minorem cum particula *sed*; atqui particula *sed* significat

cat propositionem vt additam alteri, atque illam respicientem; ergo concipimus minorem obiectiuam vt additam maiori obiectiuę; sed concipere minorem vt additam maiori est concipere complexum vtriusque; ergo concipimus complexum, adeoque per actum indiuisibilem.

Dico secundo: ad conclusionem inferendam requiritur cognitio de bonitate illationis. Probatur, quià non potest intellectus conclusionem euidenter inferre, nisi videat euidenter illam necessariò sequi ex præmissis; sed hoc est cognoscere bonitatem illationis; ergo &c.

Sec quæritur, vtrum cognitio de bonitate illationis sit actus distinctus ab ipsa conclusione, illamque præcedens. Dico probabile esse, quod soleat esse actus distinctus. Intellectus enim humanus discurrit paulatim procedendo ab vno actu ad alium; ergo prius assentitur complexo præmissarum, deinde videt tale complexũ esse cõnexum cũ conclusione, ac tum demum assentitur conclusioni propter præmissas vt connexas.

Ad 1. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Conclusio enim non potest immediatè inferri nisi ex obiecto connexo, vt dictum est.

Ad

Ad 2. Concedo, quod intellectus ad conclusionem inferendam debet cognoscere bonitatem illationis obiectiuę, sed dico, quod actus id cognoscens non solet esse ipsa formalis conclusio, vt explicatum est.

Vtrum conclusio reflectat suprà obiecta præmissarum. Quæstio LXV.

VIdetur, quod non 1. quia sequeretur, quod intellectus in eodem instanti bis assentiretur pręmissis, quod est absurdum. Confirmatur, quia actus conclusionis contineret totam perfectionem præmissarum; ergo frustrà pręter conclusionem darentur pręmissæ.

2. Si actus conclusionis reflecteret intrinsecè suprà obiecta præmissarum, non possemus recordari conclusionis, quin recordaremur pręmissarum; sed aliquãdo recordamur conclusionis, & non recordamur pręmissarum, seu motiui, propter quod assensi sumus tali conclusioni; ergo &c.

3. Si actus conclusionis reflecteret supra obiecta præmissarum, sequeretur, quod ex præmissis falsis non posset sequi conclusio vera; cum enim conclusio af-

:inet obiecta præmissarum, si præmissæ
int falsæ, affirmat falsum, adeoque est
ılsa, quià bonum ex integra causa, ma-
ım ex vnius defectu, vt dictum est qu.
o.; sed est axioma commune, quod ex
also potest sequi verum; ergo &c.

4. Si actus conclusionis intrinsecè tē-
.eret in motiua attrahentia, tenderet
tiam in retrahentia; sed non tendit in
etrahentia; ergo &c. Minor probatur;
ıam quod difficultat actum, & est impe-
litiuum illius, non potest essentialiter
ɔræequiri ad talem actum; sed motiua
:etrahentia difficultant, & impediunt
ıctum; ergo non prærequiruntur ad
ıctum; sed si essent obiectum prærequi-
rerentur; ergo non sunt obiectum con-
clusionis, adeoque conclusio non tendit
intrinsecè in motiua retrahentia.

Respondeo cum sancto Thoma prima
secundæ, quæst. 2. artic 8., quod omnis
actus intentionalis intrinsecè tendit in
suum motiuum: & quià motiuum con
clusionis sunt præmissę, motiuum actus,
quo voluntas amat medium est finis, ideò
& conclusio tendit intrinsecè in obiecta
præmissarum, & amor medij tendit in-
trinsecè in finem, & eodem pacto se ha-
bent principia in speculabilibus, sicut
finis in operabilibus, vt sæpe ex Aristo-
tele septimo Ethicorum, & alibi docet
sanctus

Sanctus Thomas. Sicut enim principia per se nota mouent ad assensum conclusionum per se non notarum, ita finis per se amabilis mouet ad amorem mediorũ per se non amabilium. Ratio à priori est, quia propter, quod vnumquodque tale, & illud magis, quod axioma applicat Aristoteles præsertim actibus intentionalibus, in quibus videtur manifestum inductione. Si enim visio attingit colorem propter lumen, multo magis attingit lumen; sed conclusio assentitur suo obiecto propter præmissas, amor medij amat medium propter finem; ergo conclusio multo magis assentitur præmissis, amor medij multo magis amat finẽ. Nec dicas, quod illud axioma intelligitur solum de potentia, non autem de actu, ità vt sensus sit, quod cum intellectus assẽtitur vni obiecto propter aliud multo magis assentitur illi, licet per diuersum actum. Nam contrà est primo, quià patet inductione in sensibus, quod ipse actus, qui tendit in vnum propter aliud, à fortiori tendit in illud. Secundo contra est, quià actus attingit obiectum eo pacto, quo obiectum est attingibile; sed color exem gr. non est visibilis, nisi vt illuminatus; ergo visio nõ potest videre colorem, nisi vt illuminatum, attingendo etiam lumen; veritas per

per ſe non nota non eſt affirmabilis, niſi vt connexa cum veritatibus per ſe notis; ergo aſſenſus veritatis per ſe non notæ aſſentitur illi prout connexæ cum veritatibus per ſe notis, attingendo veritates per ſe notas: idemque dic proportionaliter de medio, & fine. Confirmatur, quià actus, quo intellectus aſſentitur cõcluſioni, eſt rationalis; ſed ſi neſciret rationem, propter quam aſſentitur, non eſſet rationalis; ergo ſcit talem rationem, adeoque attingit obiecta præmiſſarum.

Confirmatur concluſio à poſteriori, quià ſæpe habemus plura motiua aſſentiendi obiecto concluſionis, & poſſumus aſſentiri non propter omnia, ſed propter aliqua tantum; exem. gr. iudex habet motiuum credendi, quod reus commiſerit homicidium ex teſtimonio viginti teſtium, & poteſt aſſentiri propter aliquos teſtes fide dignos, non aſſentiri propter alios fide indignos; ſed in hoc caſu experitur, propter quod motiunm aſſentiatur, propter quod non aſſentiatur, & eàtenus id experitur, in quantũ experitur actum dicentem, *credo reum commiſiſſe homicidium, quià teſtantur id decem teſtes fide digni, non autem quia teſtantur alij decem fide indigni*; ergo verè habemus talem actum, adeoque concluſio tendit

tendit in motiua , hoc est in pręmissas.

Respondent, quod experimur causalitatem , per quam conclusio causatur potius ab vno motiuo , quam ab alio . Sed contra primo , quia difficile est , quod talis causalitas cadat sub experientiam . Secundo conclusio est actus rationalis ; ergo pendet à sua ratione , non cæco modo , sed rationali ; ergo pendet ità , vt attingat tale motiuum .

Hinc colligitur actus tùm intellectus tum voluntatis tendere non solum in motiua attrahentia , tum approbata, tum reprobata , sed etiam in motiua retrahētia ; e g. cum quatuor testes testantur homicidium rei , duo fide digni , duo fide indigni , & reus negat , iudex potest credere homicidium, approbando testimonium duorum , reprobando alia duo testimonia , non obstante negatione rei retrahente à fide homicidij , & tunc eliciet talem actum ; *credo reum commisisse homicidium , quia testantur id duo fide digni , non quia testantur alij duo fide indigni , quamuis reus neget* ; in hoc actu ly *quia* exprimit tendentiam in motiuum attrahens ad assensum , & approbatum ; ly *non quia* exprimit tendentiam in motiuum attrahens ad assensum , ac reprobatum ; ly *quamuis* , exprimit tendentiā in motiuum retrahens ab assensu , quo

non

non obstante, assentimur; tales autem tendentias experimur.

Ad 1. Distinguo maiorem: sequeretur, quod intellectus in eodem instanti bis assentiretur præmissis sub eadem ratione, nego; sub diuersa ratione, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Intellectus semel assentitur pręmissis secundum se, & semel assentitur ijsdem vt rationibus conclusionis, quod non repugnat, neque est frustraneum. Ad confirmationem nego, quod actus conclusionis contineat totam perfectionem præmissarum. Nâ præmissę assentiuntur suo obiecto directè secundum se: conclusio assentitur obiecto pręmissarum, non directè secundum se, sed solum vt rationi conclusionis; assentiri verò directè est quędam perfectio assensus.

Ad 2. Nego sequelam. Cognitio enim attingens indiuisibiliter plura obiecta, non solum relinquit speciem repræsentantem illa indiuisibiliter, sed etiam species repręsentantes diuisibiliter: sicut cum quis cogitat per vnicum actum de duobus hominibus simul, potest deinde recordari vnius sine alio, vt patet experientia.

Ad 3. Dum dicitur, quod ex falso potest sequi verum, sensus est, quod ex

præ-

præmissis falsis potest sequi conclusio de obiecto materiali vero, licet actus conclusionis simpliciter sit falsus, quià errat circà obiectum formale.

Ad 4. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem respondeo dupliciter. Primo nego absolutè maiorem, & ostendo per instantiam, quod illa maior vniuersaliter sumpta sit falsa. Pugna enim difficultat victoriam, & ex se est impeditiua ipsius, & tamen essentialiter prærequiritur ad victoriam, quæ non potest dari sine pugna; sed actus per seipsum tnndens in motiua opposita est victoria talium motiuorum; ergo ad illum prçrequiruntur talia motiua. Hinc secundo respondeo, distinguo maiorem; quod difficultat actum, qui sit ipsa formalis victoria difficultatis, non potest prærequiri ad talem actum, nego; qui non sit victoria, transeat. Addo, quod motiua contraria difficultant actum assensus, quià sine talibus motiuis intellectus assentiretur per alium assensum facilem, & non pugnacem; posito verò, quod proponantur motiua retrahentia, assentitur per assensum difficilem, & pugnacem. Quia igitur motiua in oppositum impediunt assensum facilem, & relinquũt possibilem solum assensũ difficilẽ, dicũtur difficultare asséſũ secũdũ speciẽ.

Vtrum

Vtrum detur scientia de nouo, vel sit sola reminiscentia. Quæstio LXVI.

VIdetur vera sententia veterum Academicorum, *Pyrrhonicorum*, & Empiricorum, quod non detur scientia, vel vlla certitudo de rebus, sed omnia sint incerta, & dubitabilia; 1. quia de rebus variabilibus non potest haberi cognitio certa, & inuariabilis; sed omnia sunt variabilia; ergo non potest de vlla re dari cognitio, & scientia certa.

2. Omnis cognitio intellectus humani originatur à sensibus; sed sensus sunt fallaces; ergo omnis cognitio intellectus humani est fallax, adeoque non est certa.

3. Ex Aristotele primo posteriorum textu quinto, scientia non potest acquiri nisi per demonstrationem, & syllogismum; sed per demonstrationem, & syllogismum non potest acquiri; ergo &c. Probatur minor: nam de præmissis demonstrationis deberet haberi scientia: nisi enim habeatur scientia de præmissis, haberi non potest de conclusione; sed si de præmissis haberetur scientia, deberet haberi per demonstrationem, &

per

per alias præmissas, & sic procederetur in infinitum; ergo vt haberetur scientia de conclusione, deberet simul haberi de infinitis pręmissis, quod repugnat.

4. Videtur vera sententia Platonis, Pythagoræ, & aliorum, quod detur quidem scientia, sed non acquiratur de nouo, sed obtineatur per memoriam, vel per reminiscentiam. Si enim puer interrogetur de pluribus, de quibus nunquam cogitauit, exem.gr. an quatuor, & tria faciant septem, benè respondet; sed qui interrogatur de obiecto, quod nunquam sciuit, non potest benè respondere; ergo puer sciuit hæc obiecta, & illorum recordatur.

5. Qui quærit seruum fugitiuum, si illum non cognoscebat ante, etiamsi in illum incidat, non cognoscit, quod est seruus, quem quęrit; ergo similiter qui quęrit exem.gr. *vtrum homo sit risibilis*, si antè nesciebat hoc obiectum, etiamsi proponatur illi, non potest cognoscere, quod est risibilis.

6. Scientia, quę est in magistro, non est qualitas actiua. Licet enim calor ignis exem.gr. producat alium calorem in subiecto approximato, tamen scientia, quæ est in vno homine, non potest producere similem scientiam in alio; ergo magister non potest causare scientiā

in

in discipulo; ergo discipulus non potest acquirere scientiam per disciplinam, sed per solam reminiscentiam.

Respondeo positionem antiquorum, quod non detur scientia, nec vlla cognitio certa, esse similem positioni, quod non detur motus, nec vlla mutatio. Sicut enim constat experientia, quod dentur plures mutationes, sic constat experientia, quod plurimis obiectis adhæremus ita immobiliter, vt nequeamus de illis dubitare. Quis enim dubitet, vtrum idem possit simul esse, & non esse; vtrum totum sit maius parte; vtrum ipse existat, viuat, habeat caput, manus, pedes &c. Posito, quod in anima detur scientia, quæritur, an detur de nouo. Antiqui sicut dixerunt, quod in materia formæ non dantur de nouo, sed solum deteguntur, cum ante laterent, sic putarunt, quod in anima scientię, ac species intentionales rerum non dentur de nouo, sed solum excitentur, ac detegantur, cum ante essent absconditæ. Existimarunt nimirum, quod & in materia semper sint actu simul omnes formę, sed ità, vt non appareant, & in anima semper sint actu simul omnes scientię, ac species rerum, sed ità, vt demersæ iaceant in profundo quodam obliuionis, ac veluti somni; & quod sicut propter actio-

actiones agentium externorum modò in materia apparet vna forma, modò alia, sic propter actiones obiectorum sensibilium in sensus, modo in anima per memoriam excitatur vna species, & cognitio, modò alia. Aristoteles è conuerso docuit, quod & formę pręexistunt in materia non actu, sed potentia, per actionem verò agentium proportionatorum reducuntur in actum; & scientiæ, ac species rerum præexistunt in anima non actu, sed potentia, per actionem verò agentium proportionatorum educuntur in actum. Probat pręsertim ex eo, quod non possunt in materia simul actu esse formæ contrariæ, exem.gr. calor, & frigus, forma hominis, & equi, & similiter non possunt in anima simul esse actus contrarij, et opiniones, quibus idem obiectum affirmamus, ac negamus; sed diuersis temporibus habemus actus contrarios; ergo si isti actus non producuntur de nouo, semper sunt actu simul in anima. Confirmatur, quià ridiculum est, quod aliquis, qui putabat solem esse palmarem, cum mutat opinionem, retineat latenter opinionem priorem. *Si* verò dicant, quod actus non existunt simul in anima, sed soli habitus, contrà est, quià sicut actus educuntur de nouo ex potentia in actũ; sic

ſic habitus poſſunt de nouo educi ex potentia in actum. Et confirmatur, quia habitus acquiruntur per actus; ergo ſi de nouo producuntur actus, etiam habitus producuntur de nouo.

Poſito, quod & de nouo generentur formę etiam ſubſtantiales in materia, & de nouò generentur ſcientię, ac ſpecies intentionales in anima, quęritur cauſa talis generationis? Plures ex antiquis dixerunt, quod & omnes formę, etiam anima rationalis educũtur ex potentia materiæ per actionem agentium materialium, & omnis cognitio, etiam intellectiua, ac ſcientifica educitur ex potentia animę per actionem obiectorũ ſenſibilium, ideoque putarunt animam rationalem eſſe vnam ex formis materialibus, intellectum eſſe vnum ex ſenſibus. Ex oppoſito *Plato*, qui pręter ſingularia materialia, & ſenſibilia poſuit ideas immateriales, & intelligibiles, dixit, quod agentia materialia diſponunt ſolum accidentaliter materiam, formę verò ſubſtantiales imprimuntur materię ab ideis; & proportionaliter dixit, quod obiecta ſenſibilia mouendo ſenſus diſponunt animam ad ſcientiam vniuerſalium, ſed cognitio vniuerſalium cauſatur in anima ab ideis vniuerſalibus intelligibilibus, quę ita ſe habent ad mo-

uendum

uendum intellectum, sicut obiecta sensibilia ad mouendum sensum. Auicennas sequitur *Platonem*, ac solum discrepat in eo, quod loco idearum substituit Intelligentias, quę causent in materia formas substantiales, in anima scientiam. Aristoteles mediam viam iniens docuit, quod omnes formæ materiales imprimuntur materię ab agentibus materialibus, & omnis cognitio sensitiua causatur ab obiectis sensibilibus; è conuerso intellectus, seu anima rationalis aduenit in materia à principio extrinseco, & immateriali, materialibus agentibus solum disponentibus materiam, & cognitio scientifica causatur in intellectu possibili ab intellectu agente, qui est potentia actiua, & immaterialis, & causat scientiam vniuersalium, abstrahendo species intelligibiles à sensibus, imaginatione, & phantasmatibus, quæ omnia sunt melius explicanda in quæstionibus de anima rationali.

Ad 1. Deus, ac diuina sunt omninò inuariabilia; ergo potest saltem de Deo, & Diuinis dari scientia certa, & inuariabilis. Secundo creaturæ sunt variabiles quoad existentiam, sed quoad connexionem prædicati cum subiecto sunt inuariabiles; est enim impossibile, quod homo non sit animal rationale; ergo potest

test dari certa & inuariabilis scientia, quod homo sit animal rationale. Tertio, vt cognitio sit certa, non requiritur, vt obiectum non possit simpliciter aliter se habere, sed sufficit, quod ex suppositione scientiæ non possit aliter se habere. Ego e.g. licet simpliciter possim existere, vel non existere, tamen est impossibile, quod si cognosco me existere, non existam; ergo talis cognitio, qua cognosco me existere: est omninò certa, licet sit de obiecto variabili simpliciter, idemque dic de pluribus alijs cognitionibus de veritatibus contingentibus, & variabilibus simpliciter, sed inuariabilibus ex suppositione cognitionis.

Ad 2. Concedo maiorem, & distinguo minorem; sensus sunt fallaces quoad multitudinem vniformem actuum, nego; quoad vnum, aut alterum actum, transeat. Sicut quià singuli homines possunt fallere, & falli, non sufficit testimonium vnius, aut alterius hominis ad causandam certitudinem de eo, quod testantur: si tamen innumeri homines vniformiter testantur aliquid, reddunt illud certum, eo pacto, quo quia innumeri homines testantur dari Constantinopolum, certum est dari Constantinopolim; sic singulæ sensationes fortasse sunt fallaces, ideoque non sufficiunt ad causandam

certi-

certitudinem, sed cum innumeræ sensationes etiam plurium sensuum vniformiter idem ostendunt, non possunt fallere, ideoque causant certitudinem. Addo, quod licet cognitio intellectus originetur à sensibus, tamen intellectus per abstractionem eleuatur suprà sensum ad cognoscendas veritates immutabiles, ac necessariam connexionem prædicati cum subiecto; ergo potest intellectus de veritatibus immutabilibus habere certissimam cognitionem.

Ad 3. Respondet Aristoteles non procedi in infinitum, quià peruenitur ad prima principia per se nota, de quibus habetur immediata certitudo sine syllogismo.

Ad 4 Interrogatus de obiecto, quod ante nesciebat, potest benè respondere, si illud obiectum habeat vim manifestandi se ipsum, vel per congruam interrogationem proponatur vt connexum cum obiecto habente vim manifestandi se ipsum; ergo ex eo, quod interrogati de talibus obiectis benè respondeamus, non arguitur, quod illa sciuimus ante.

Ad 5. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia cum occurrit seruus fugitiuus, non manifestat se esse talem seruum; at cum primo occurrunt veritates per se notæ,

manifestant seipsas, & etiam alias veritates, cum quibus connectuntur.

Ad 6. Licet scientia non sit qualitas actiua, ac productiua scientiæ in altero, adhuc qui habet scientiã, potest id, quod scit, explicare verbis, ac signis, obiectũ verò per se notũ explicatũ verbis, ac signis causat in audiẽte scientiam, & cognitionẽ sui. Magister igitur non est causa immediata scientiæ in discipulo, sed solum est causa applicans obiectum, quod sua vi causat scientiam sui: eo pacto homo non est causa immediata conbustionis, sed potest applicare ignem, qui est causa combustionis.

Vtrum conuenienter assignentur præcognita, subiectum, prædicatum, & medium demonstrationis potissimæ. Quæstio LXVII.

VIdetur, quod non conuenienter assignentur tres termini demonstrationis potissimæ dicendo, quod maius extremum, seu prædicatum conclusionis debet esse passio, seu proprietas alicuius subiecti, minus extremum debet esse subiectum talis passionis, medius terminus debet esse definitio subiecti; 1. quia per demonstrationem possunt de subie-

 cto

cto demonstrari non solæ proprietates, sed etiam accidentia communia, & prædicata essentialia; ergo prædicatum demonstrationis non debet esse sola passio, seu proprietas subiecti.

2. Medium demonstrationis debet esse causa, propter quam prædicatum conclusionis inest necessariò subiecto; sed causa, propter quam prædicatum conclusionis inest necessariò subiecto, non est sola definitio, seu essentia subiecti, sed etiam definitio, seu essentia prædicati, immò talis causa potest esse aliquid extrinsecum; ergo medium demonstrationis non debet esse sola definitio subiecti. Confirmatur, quià Aristoteles secundo posteriorum, tex. 8. satis clarè indicat, quod medium demonstratinis debeat esse definitio passionis. *D*icit enim eclipsim demonstrari de luna per definitionem eclipsis.

3. Videtur, quod inconuenienter assignentur præcognita ad demonstrationem, dicendo, quod sunt duo, *an est*, & *quid est*; prçcipuè enim debet prçcognosci veritas præmissarum; sed cognitio, quod præmissæ sunt verę neque reducitur ad cognitionem *an est*, neque ad cognitionem *qnid est*; ergo &c.

Respondeo, quod vt indicatum est quæstione prima ad tertium, quià per-

fectum eſt regula ſui, & imperfecti, ideò Ariſtoteles agens de demonſtratione, totus eſt in eo, vt deſcribat perfectam, potiſſimam, & idealem demonſtrationẽ: per illam enim facilè deinde cognoſcũtur imperfectæ, ac deficientes ab ideali. Iam vt demonſtratio ſit perfecta, debet eſſe naturalis, & conformis rebus; ergo debet componere cum ſubiecto prædicatum, quod verè inſit ſubiecto, & componatur cum illo; ſed ſolum accidens ineſt ſubiecto, ſubſtantia verò non ineſt; ergo debet demõſtrare de ſubiecto prædicatum non ſubſtantiale, ſed accidentale. *Prætereà* debet demonſtrare de ſubiecto pręedicatum, quod inſit illi omnimoda neceſſitate; ſed ſolum accidens proprium ineſt ſubiecto omnimoda neceſſitate, ità vt neque ſubiectum poſſit eſſe ſine tali accidente, nec tale accidẽs ſine ſubiecto, accidentia verò communia non inſunt omnimoda neceſſitate; ergo debet de ſubiecto demonſtrare nõ accidens commune, ſed proprium, quod vocatur etiam paſſio ſubiecti. Talis verò paſſio debet demonſtrari de ſubiecto, cui primo ineſt conuertibiliter: exem. gr. quià paſſio habentis tres angulos æquales duobus rectis primo, & conuertibiliter ineſt, non triangulo æquilatero, ſed triangulo vt ſic, debet primo demonſtrari

ſtrari non de triangulo æquilatero, ſed de triangulo vt ſic; qui verò talem paſſionem demonſtraret de triangulo æquilatero peccaret contrà regulas perfectæ demonſtrationis, nec attingeret primã, & vniuerſalem rationem, propter quam triangulo ineſt paſſio habentis tres angulos æquales duobus rectis: ex quo etam poſſet errare, putando, quod non omne triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis. Hinc ſequitur, quod primum medium demonſtrationis potiſſimæ debet eſſe definitio ſubiecti. Perfecta enim demonſtratio debet oſtẽdere paſſionem neceſſariò ineſſe ſubiecto per primam cauſam, propter quam neceſſariò ineſt; ſed prima cauſa, propter quam vnicuique ſubiecto neceſſariò, & conuertibiliter inſunt ſuæ paſſiones, & proprietates, eſt ipſa eſſentia ſubiecti per definitionem explicata; ergo primum medium in demonſtratione potiſſima debet eſſe definitio ſubiecti. Definitio verò paſſionis poteſt quidem eſſe medium, ſed non primum. Ratio eſt, quià accidens eſt entis ens, adeoque eſſentia accidentis ordinatur ad eſſentiam ſubiecti, & ſpecificatur à ſubiecto, vt dictum eſt quæſtione tertia; ergo prima ratio, cur accidens habeat talem eſſentiam, & definitionem eſt eſſentia, & natura

ſubiecti; ſed primum medium demonſtrationis perfectę debet eſſe prima ratio; ergo primum medium debet eſſe eſſentia, ac definitio non paſſionis, ſed ſubiecti. Demonſtrata per definitionem ſubiecti prima paſſione, per primam paſſionem tamquam per medium demõſtratur ſecunda, per ſecundam tertia, & ſic vſque ad vltimam paſſionem, nec in talibus demonſtrationibus proceditur in infinitum, vt Ariſtoteles docet, quia non inſunt rebus infinitæ, ſed finitæ paſſiones ità ordinatæ, vt prima oriatur immediatè ab eſſentia ſubiecti, ſecunda paſſio oriatur à prima paſſione, & ſic vſque ad vltimam.

Poſito, quod prædicatum demonſtrandum ſit paſſio, ſubiectum, de quo debet prædicatum demonſtrari, ſit ſubiectum talis paſſionis, ſit autem impoſſibile, vt procedamus ad demonſtrandum prędicatum de ſubiecto, niſi præcognoſcamus aliquid tum circà prædicatum, tum circà ſubiectum, quæritur cum Ariſtotele, quid debeat circà vtrumque præcognoſci.

Dicendum cum Ariſtotele, quod de ſubiecto debet præcognoſci *quid ſignificet nomen, quod eſt, & quid eſt*; de paſſione debet præcognoſci ſolum *quid ſignificat nomen, an verò ſit, & quid rei ſit* non de-

debet præcognoſci, ſed per demonſtrationem colligi. Quod tum de prædicato, tum de ſubiecto debeat prȩcognoſci quid ſignificet nomen, eſt manifeſtum, quià vana eſt omnis quȩſtio, niſi quis intelligat nomina. Quomodo enim poteſt quis non dico demonſtrare, ſed inquirere, an homo ſit riſibilis, niſi præcognoſcat, quid intelligatur nomine hominis, ac nomine riſibilis? Quod de ſubiecto paſſionis debeat præcognoſci *quod eſt* actu, vel potentia, ſeu quod eſt ſaltem poſſibile, probatur, nam impoſſibile, & non ens nullas habet paſſiones; ergo intellectus non poteſt de ſubiecto demonſtrare vllam paſſionem, niſi præcognoſcat, quod eſt ens ſaltem poſſibile. Quod debeat etiam prȩcognoſci *quid eſt* probatur, quià vt dictum eſt, definitio ſubiecti eſt medium, per quod demonſtrantur paſſiones; ſed medium debet prȩcognoſci, ergo &c. Quod non debeat de paſſione prȩcognoſci *an ſit*, neque *quid ſit*, probatur, quià quod concluditur per demonſtrationem non debet prȩcognoſci ante demonſtrationem; ſed quod paſſio ſubiecti eſt, & quid ſit, concluditur per demonſtrationem; ergo &c. Probatur minor, quià paſſionem eſſe, eſt paſſionem ineſſe ſubiecto; nam accidentis eſſe eſt ineſſe, & ex eadem ratio-

ne essentia passionis est inesse subiecto saltem aptitudinaliter ; sed per demonstrationem concluditur, quod passio inest subiecto ; ergo per demonstrationem concluditur, quod passio est, & *quid est*.

Infertur iuxtà doctrinam Aristotelis definitiones substantiarum connaturaliter non demonstrari, sed esse principia per se nota demonstrationis ; è conuerso definitiones accidentium non esse principia per se nota, sed effectus, ac fructus demonstrationis. Ratio est, quia quę conueniunt subiecto primo, & per se, non ratione alterius, sed ratione sui, & sunt prima ratio, cur subiecto conueniant, & insint cætera, connaturaliter cognoscuntur conuenire subiecto primo ratione sui, & sunt ratio, cur subiecto cognoscantur inesse & conuenire cętera ; sed essentia substantiæ conuenit substantiæ ratione sui, & nulli subiecto inest ratione alterius, & est prima ratio, cur tali substantię tamquam primo subiecto insint passiones ; ergo connaturaliter essentia substantię cognoscitur conuenire substantię ratione sui, & non alterius, proprietates verò cognoscuntur inesse substantiæ ratione essentiæ ipsius substantiæ ; sed propositio, per quam aliquid cognoscitur conuenire

uenire subiecto ratione sui est per se nota, & si est etiam ratio cognoscendi, cur alia insint subiecto, est principium demonstrationis; ergo propositiones, per quas definitiones substantiarum prædicantur de substantijs, connaturaliter sũt per se notæ, & sunt principia demonstrationis. E conuerso cum accidens sit entis ens, essentia accidentis est inesse subiecto, non primo, & per se ratione sui, sed ratione essentiæ subiecti; ergo connaturaliter definitio accidentis cognoscit accidens inesse subiecto, non ratione sui, sed ratione essentiæ subiecti, quæ est causa cur insit; sed cognitio, qua aliquid cognoscitur inesse subiecto per causam, est ęquiualenter conclusio, & demonstrationis effectus; ergo definitio accidentis connaturaliter est effectus demonstrationis: immo est demonstratio solo situ differens à formali demonstratione, quià continet subiectum, prędicatum, & medium demonstrationis; exem.gr. definitio, qua eclipsis lunaris dicitur, *defectus luminis in luna ex interpositione terræ*, explicat passionem lunæ, quæ passio est defectus luminis, & est prædicatum demonstrandum de Luna; explicat subiectum, quod est Luna; & explicat medium terminum, hoc est interpositionem terræ, quæ est causa,

T 5 per

per quam de luna demonstratur eclipsis. Similiter risibilitas hominis definiri debet, *potentia ridendi conueniens homini ex eo, quod discurrens possit incidere in obiectũ turpe sine dolore excitatiuum risus*, in qua definitione ponitur passio, subiectum, & causa passionis; idem dic de definitionibus aliorum accidentium. Hac verò arte solet Aristoteles definire passiones rerum, vt patebit presertim in quæst. de Anima. Ex dictis de demonstratione potissima, & ideali facilè potest colligi, quid sit dicendum de demonstrationibus imperfectis; sed non est immorandum.

Ad 1. & 2. Patet ex dictis, quod accidentia communia, & prædicata essentialia demonstrari non possunt demonstratione potissima.

Ad 3. Aristoteles dum quærit precognita, quærit solum, quid debeat præcognosci circà prædicatum, & subiectũ conclusionis, quæ infertur per demonstrationem potissimam, & dicit, quod sunt illa duo, *an est, & quid est*; non negat autem, sed supponit, quod debet præcognosci veritas premissarum, licet illam non ponat in precognitis in sensu explicato.

Vtrum

Vtrum detur, & sic vtilis regressus demonstratiuus. Quæstio LXVIII.

VIdetur non dari, nec esse vtilis; regressus enim demõstratiuus est processus, per quem intellectus, postquam ex aliquo principio probauit conclusionem, regreditur, & per conclusionem probat illud principium: ex. gr postquã per eclipsim, quę est effectus, probauit interpositionem terræ, quæ est causa, regreditur, & per interpositionem probat eclipsim; sed hic processus est inutilis, & impossibilis; ergo &c. Minor probatur; pręmissę enim debent esse notiores conclusione; sed implicat, quod duo sint mutuo notiora; ergo &c.

2. Aristoteles primo posteriorum tex. 19. reijcit, vt vitiosum circulum positum à quibusdam antiquis, in quo conclusiones, & principia per se mutuo probentur; sed regressus includit talem circulum; ergo &c.

Respondeo dari, & esse vtilem regressum, præsertim per quem, postquam per effectum probauimus causam demõstratione à posteriori, quæ vocatur *demonstratio quia*, regredimur ad probandũ

effectum per causam demonstratione à priori *propter quid*. Probatur primò authoritate Aristotelis, qui primo posteriorum approbat regressum, eoque deinde vtitur in pluribus locis. Secundo probatur afferendo varios casus, in quibus potest esse vtilis. Primus casus est, cum aliquis per effectum demonstrat causam non per se notam, exem. gr. per eclipsim interpositionem terrę, deinde quærit causam talis interpositionis, & inuenit illam esse motum circularem Cœli per se notum, & per talem motum demonstrat interpositionem terræ, deinde per interpositionem demonstrat eclipsim. Secundus casus est, cum essentia rei non est per se nota cognoscenti, eo quod nō benè illam penetrat; at postqnam illam demonstrauit per effectum, eamdem considerans attentius, penetrat, & cognoscit per se: tum verò regreditur, & per illam demonstrat effectum. Hinc patet ad argumenta.

Ad 1. Distinguo minorem: duo non possunt esse mutuo notiora eodem tempore, concedo; diuerso tempore, & variatis circunstantijs, nego. Quando causa probatur per effectum, effectus est notior; at potest deinde causa fieri notior effectu, vel per demonstrationem à priori, vel per meliorem causę penetratio-

strationem, & tum possumus à causa notiore regredi ad probandum effectum, vt explicatum est.

Ad 2. Aristoteles reijcit circulum antiquorum dicentium omnia mutuo probari eodem tempore, & nihil esse per se notum, cum quo circulo non coincidit regressus.

Vtrum actus scientiæ sit compossibilis cum actu opinionis circà idem obiectum. Quæstio LXIX.

VIdetur, quod sit compossibilis 1. quia si actus opinionis esset incompossibilis cum actu scientię, vel esset incompossibilis ratione imperfectionis, vel ratione obscuritatis, & ineuidentię, vel ratione incertitudinis; non ratione imperfectionis, quià potest idem obiectum cognosci simul cognitione imperfecta, & cognitione perfecta: exempli gratia potest idem obiectum simul cognosci per primam apprehensionem, quæ est cognitio imperfecta, & per iudiciũ, quod est cognitio perfecta; potest idem simul cognosci cognitione abstractiua imperfecta, & cognitione intuitiua perfecta. Non ratione obscuritatis,

quia

quià poteſt idem ſimul cognoſci cognitione clara, & obſcura, exem. gr. cognitione definibili, quę eſt obſcura, & cognitione definitiua, quæ eſt clara; non ratione incertitudinis, tum quia actus opinionis non debet habere incertitudinem, & formidinem actualem, ſed ſolum radicalem, quæ non opponitur certitudini ſcientiæ; tum quià non repugnat, quod intellectus per vnum actũ ſit certus de obiecto, per alium actualiter incertus, & formidans; actus enim certus dicit, quod obiectum ſimpliciter & abſolutè non poteſt aliter ſe habere, actus formidans dicit, quod poteſt aliter ſe habere non ſimpliciter, ſed quantum eſt ex motiuo incerto; ſed non repugnat, quod intellectus dicat ſimùl, *obiectum ſimpliciter non poteſt aliter ſe habere, ſed quantum eſt ex motiuo incerto poteſt aliter ſe habere*; ergo &c.

2. Actus habentes ſolum certitudinem moralem, & phyſicam, non autem metaphyſicam, cum poſſint eſſe falſi, non excludunt omnem formidinem; ſed tales actus ſunt compoſſibiles cum actu metaphyſicè certo, adeoque excludente omnem formidinem; ergo etiam actus probabiles ſunt compoſſibiles cum actibus certis.

3. Quoties sũt compoſſibiles duæ cau-

ſę

sæ adæquatæ , ex quibus necessario sequuntur duo effectus , sunt etiam compossibiles tales effectus; sed sunt compossibiles duo syllogismi in forma , alter constans ex premissis euidentibus , alter ex probabilibus , ex quibus tamquam ex causis necessarijs sequatur conclusio eiusdem obiecti ; ergo etiam sunt compossibiles duæ conclusiones, altera scientifica , altera probabilis circà idē obiectum .

4. Cum imperfectum est dispositio ad perfectum , est compossibile cum perfecto ; exem.gr. quià prima apprehensio est cognitio imperfecta dispositiua ad iudicium , quod est cognitio perfecta, prima apprehensio est compossibilis cum iudicio ; sed cognitio probabilis est dispositio ad cognitionem euidentem circà idem obiectum ; ergo &c.

5. Videtur , quod non solum actus scientiæ , & opinionis possint simul esse in eodem intellectu , sed etiam possit idē actus assentiri obiecto ex duplici motiuo , altero certo , altero probabili, adeoque participare perfectionem scientiæ , & opinionis : intellectus enim potest per vnicum actum assentiri obiecto ex omnibus illis motiuis , ex quibus potest eidem assentiri per actus diuersos ; exem. gr. si potest intellectus credere aliquid

per

per duos actus, quorum vnus habeat pro motiuo testimonium Petri, alius testimonium Pauli, potest etiam credere per vnicum actum propter testimoniũ vtriusque; sed ex dictis potest intellectus eidem obiecto assentiri propter motiuũ euidens, & probabile per duos actus; ergo etiam per vnicum actum.

Respondeo, quod Aristoteles primo posteriorum prope finem, hoc est test. 44. tractat ex professo hanc quæstionem, vtrum possit idem intellectus eodem tẽpore idem obiectum scire simul, & opinari, & respondet negatiuè. Probat ex definitione opinionis, ac scientię. Scientia, & vniuersaliter cognitio certa est actus, quo iudicatur, quod obiectũ ità est, vt stantibus motiuis, non possit aliter se habere; opinio est actus, quo iudicatur, quod obiectum ità est, vt stantibus motiuis, possit etiam aliter se habere; sed repugnat, quod intellectus eodem tempore iudicet, quod obiectum potest aliter se habere, & non potest aliter se habere, exem. gr. quod homo stantibus motiuis non potest non esse risibilis, & fortasse non est risibilis: ergo repugnat, quod idem intellectus eidem obiecto assentiatur simul per actum sciẽtię, & opinionis, & vniuersaliter per actum certum, & incertum; ergo actus scien-

scientiæ, & opinionis circà idem obiectum possunt solum dari in diuersis intellectibus, vel in eodem diuersis temporibus. Concludit ergo Aristoteles his verbis; *manifestum ex his est, quod neque opinari idem, ac scire contingit. Simul enim haberet existimationem, quod aliter se habere, & non aliter idem posset, quod fieri nequit.* Aristotelem sequuntur omnes antiqui, & præsertim Sanctus Thomas prima sæcundę, quæst. 67. artic. 3. & secūda secundę, quæst. prima, artic. 4. & pluribus alijs locis. Plerique etiam recentiores eidem sententiæ snbscribunt.

Et sanè si retineamus Aristotelicam definitionem, quod opinio sit actus ità assentiens obiecto, vt dicat, quod potest aliter se habere, & fortasse aliter se habet, Aristotelis ratio est demonstratiua, & euidenter ostendit, quod opinio non potest stare cum vllo actu certo. At recentiores dixerunt non esse de essentia opinionis, vt actu dubitet, & formidet de obiecto, dicendo, quod fortasse aliter se habet, sed sufficere vt assentiatur obiecto ex motiuo adęquato non omninò conuincente, quod proinde exigeret, vt assensus nitens solum tali motiuo formidaret actu, licet de facto non formidet actu, eo quod excludat formidinem actualem motiuum certum; talem verò

assen-

ssensum, qui nõ formidet actu, sed nitatur adæquatè motiuo fallibili, ac non conuincente, dicunt habere formidinem radicalem. Controuersia igitur cum recentioribus est, vtrum possit idem intellectus assētiri simul eidem obiecto per actum certum nitentem motiuo infallibili, & per actum probabilem nitentē motiuo fallibili, ac formidantem de opposito non actualiter, sed radicaliter in sensu explicato.

Dicendum, quod non potest. Probatur, quià assensus nitens tantum motiuo fallibili cognito vt fallibili, eo ipso non solum radicaliter, sed etiam actualiter formidat, ac dubitat de falsitate; sed actus actualiter formidans nõ potest coniungi cum actu certo, vt dictum est; ergo &c. Probatur maior; assensus nitens adequatè aliquo motiuo sequitur proportionaliter naturam motiui; ergo si videt motiuum esse fluctuans, & fallibile, etiam assensus est fluctuans, ac de falsitate formidans; sed fluctuare, & formidare est dicere, *fortasse non ita est*; ergo &c. Confirmatur primo, quià est impossibile, vt actus nitens motiuo infallibili apparente vt infallibili sit certus solum radicaliter, & non actualiter; ergo à fortiori est impossibile, vt actus nitens solum motiuo fallibili apparente

rente vt fallibili formidet de falsitate solum radicaliter, non actualiter. Probatur consequentia: nam vtcumque possit impediri, ne effectus procedens à causa perfecta sit perfectus; aliquando enim per accidens effectus deficit à perfectione causæ, eo pacto, quo per accidens ex homine nascitur monstrum; at est impossibile, vt effectus procedens à causa adæquata imperfecta non sit imperfectus imperfectione proportionata; ergo vtcumque posset contingere, vt assensus nitens motiuo infallibili cognito vt infallibili non haberet perfectionem certitudinis actualis, adhuc implicat, vt assensus nitens tantum motiuo fallibili, & fluctuante non habeat imperfectionem fluctuationis, ac formidinis actualis. Confirmatur secundo, quia bonum admixtum malo cognitum vt tale non potest voluntatem mouere ad amorem, qui ità sit amor, vt non sit displicentia mali, cum quo bonum apparet admixtum; ergo motiuum fallibile non potest mouere intellectum ad assẽsum, qui non sit suspicio, & formido falsitatis. Ratio verò à priori est, quià in assensu nitente solum motiuo fallibili apparente vt fallibili non aliud est assẽtiri, aliud suspicari de opposito, dicendo *fortasse non est itâ*, sed est vnicus actus
assen-

aſſentiens motiuo vt fallibili trepidanter, & cum ſuſpicione falſitatis propter fallibilitatem motiui, quo vnicè nititur, ac dicens indiuiſibiliter, *ita eſt, ſed fortaſſe aliter*. Confirmatur tertio, quià eſt impoſſibile, vt impediat imperfectionem actus motiuum, quod nihil influit in talem actum; ſed actus nités motiuo fallibili, niſi ſimul intellectui proponatur motiuum certum, debet actualiter formidare; ergo ſi motiuum certum impedit formidinem, influit in actum; ergo talis actus non nititur ſolum motiuo fallibili, quod eſt contra ſuppoſitum. Confirmatur, quià actus, qui cum alioquin deberet fluctuare, & formidare, ideò non formidat, & fluctuat, quià adeſt motiuum non formidandi, nititur tali motiuo, ab eoque accipit perfectionem non formidandi; ſed actus opinionis, qui deberet formidare, ideò non formidat, nec fluctuat, quià adeſt motiuum non formidandi: ſi enim non adeſſet, formidaret; ergo nititur tali motiuo; ergo non poteſt in intellectu dari actus nitens motiuo certo ſimul cũ actu nitente ſolum motiuo fallibili; vel enim formidat actu, & ſic non poteſt coniungi cum actu certo; vel non formidat actu propter præſentiam motiui certi, & ſic non nititur ſolum motiuo falli-

fallibili, sed non fluctuat, quia sustentatur à motiuo infallibili.

Verum hinc oritur quæstio, an saltem possit intellectus asentiri obiecto per actum non fluctuantem, sed nitentem simul duobus motiuis, altero certo, altero fallibili; e.g. an possit quis asentiri veritati mathematicæ & propter infallibilem demonstrationem, & propter fallibilem authoritatem mathematici.

Dicendum, quod potest, si illa duo motiua, quorum alterum est certum, alterum secundum se precisè fallibile, cōstituant vnicum motiuum magis euidenter infallibile. Explicatur. Plura motiua, quorum singula secundum se præcisè sunt fallibilia, posunt coalescere in vnicum motiuum infallibile: exem. gr. testimonium singulorum, qui dicunt tamquam testes de visu Constantinopolim existere est fallibile, at omnia testimonia simul sumpta constituunt motiuum infallibile; euidens enim est, quod repugnat, vt tot homines simul testentur falsum. Iam si motiua secundum se fallibilia addita alijs motiuis fallibilibus posunt constituere motiuum infallibile, à fortiori motiua fallibilia addita euidentibus, posunt constituere motiuum euidentius infallibile; ex gr. autho-

authoritas Euclidis, & Archimedis est motiuum fallibile, si tamen addatur motiuo demonstrationis euidentis, constituit cum illa motiuum euidentius infallibile, quam sola demonstratio. Licet enim sit euidens ex demõstratione, quod cuiuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis, adhuc magis est euidens ex demonstratione, quam Euclides, & Archimedes testantur esse veram. Est enim euidenter impossibile, vt hæc demonstratio secundum se præcisè sit falsa, sed adhuc euidentius est impossibile, vt sit falsa hæc demonstratio, quam Euclides, & Archimedes testantur esse veram. Hinc probatur cõclusio. Cum intellectus potest assentiri conclusioni ex motiuo minus euidente, multo magis potest assentiri ex motiuo magis euidente; sed ex motiuo euidente, & ex probabili coalescit motiuum euidentius; ergo potest intellectus assẽtiri ex motiuo coalescente ex euidente, & probabili. Immò semper assentitur ex motiuo coalescente, quià cum naturaliter quęrat summam euidentiam in obiecto, semper præstat assensum ex euidentissimo motiuorum propositorum. Hinc infero, quod intellectus semper vltimo assentitur obiecto propter motiuum coalescens ex omnibus motiuis euidenti-

dentibus, & probabilibus, quę habet de facto. Ratio est, quia motiua pro aliqua conclusione sunt quędam testimonia pro tali conclusione; sed singula testimonia augent euidentiam conclusionis; si enim est euidenter impossibile, quod sit falsa conclusio, cuius veritatem attestantur hæc decem motiua, est euidentius impossibile, quod sit falsa conclusio, cuius veritatem attestantur hæc decem, & præterea vndecimum; ergo &c. Confirmatur experientia; nam veritatibus etiam euidentibus solemus assentiri propter totam apparentiam, quam habent, dicendo, impossibile est esse falsum id, pro quo habeo hæc omnia motiua. Hinc verò patet, quod vtiliter conclusiones euidenter demõstratæ possunt confirmari rationibus secundum se præcisè probabilibus, sed augentibus euidentiam adæquati motiui.

Debet tamen aduerti, quod dum assentimur propter motiuum coalescens ex omnibus, non approbamus singula, sed approbamus solum hanc maiorem vniuersalem, *est impossibile quod sit falsum id, ubd hæc omnia motiua attestantur esse verum*; eo pacto, quo cum quis credit Constantinopolim existere, eo quod innumeri testentur se illam ciuita-

uitatem vidisse, non approbat, quod singuli viderint, immo credit multos ex illis mentiri, ac verè non vidisse Constantinopolim, sed solum approbat hanc maiorem vniuersalem, *est impossibile, quod non detur Ciuitas, quam omnes isti testantur se vidisse.* Sicut autem intellectus syllogizando nititur duobus principijs *dictũ de omni, dictum de nullo*, sic præstando vltimum assensum, nititur principio iam explicato, quod potest vocari *testatum ab omnibus his.*

Ad 1. Actus opinionis est incompossibilis cum quolibet actu certo etiam fidei Diuinæ, propter imperfectionem formidinis actualis, vt explicatum est; & quià instantiæ allatæ non sunt de actibus habentibus actualem formidinem, non sunt ad rem. Dum opponitur actus dicens, *obiectum potest aliter se habere quantum est ex hoc motiuo* non opponitur actui certo, quo dicitur *simpliciter potest aliter se habere*; distinguo, si talis actus nitatur solum eo motiuo, nego; non nitatur solum, transeat. Dico, quod si actus dicens, *obiectum quantum est ex hoc motiuo potest aliter se habere*, nitatur solum tali motiuo, eo ipso absolutè trepidat, ne aliter se habeat, adeoque est incompossibilis cum actu certo.

Ad 2. Etiam actus moraliter, ac physicè

sicè certi, cum adhęrent motiuo apparẽti vt fallibili, includunt vliquam suspicionem falsitatis, ideoque non possunt coniũgi cum actibus metaphysicè certis; cum verò motiuum non apparet vt fallibile, sicut solet contingere, transeat quod possint coniungi. Addo, quod regulariter intellectus assentitur propter motiuum coalescens ex omnibus motiuis, vt explicatum est.

Ad 3. Distinguo maiorem; quoties sunt compossibiles duę causæ adæquatæ, ex quibus necessario sequuntur duo effectus, sunt compossibiles tales effectus, si tales causæ non se impediant mutuò, vel non mutuo à productione talium effectuum, concedo maiorem; si mutuò se impediant, nego maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Aliquando causę alioquin adęquatæ compossibiles impediunt mutuo suos effectus, & tum non sequitur effectus, saltem vtriusque. In casu nostro syllogismus euidens per assensum certum impedit assensum incertum circà eamdem conclusionem, qui assensus alioquin sequeretur ex syllogismo merè probabili, ideòque non sequitur assensus incertus, sed loco illius sequitur assensus indiuisibiliter nitens motiuo euidenti coalescente ex vtroque motiuo, vt ex-


plicatum est.

Ad 4. Distinguo maiorem: cum imperfectum est dispositio merè transiens, & per modum viæ ad perfectum est compossibile cum perfecto, nego maiorem; si sit dispositio permanens, concedo maiorem; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Plures formę imperfectæ sunt dispositiones merè transeuntes ad formas perfectas, illæque sũt incompossibiles cum formis perfectis; ex. gr. forma oui, quę est imperfecta, est dispositio transiens ad formam perfectã pulli, ideoque non est compossibilis cum forma pulli, idemque dic de formis omnium seminum, vt magis explicabitur in libris de generatione, & de anima. Sic in casu nostro dubitatio actualis est dispositio ad certitudinem, & tamen in omnium sentẽtia est incompossibilis cum certitudine, & pariter opinio, licet sit dispositio ad scientiam, est incompossibilis cum scientia, vt docet S. Thomas tertia parte, quæst. 9. per hæc verba. *Sicut in generatione substantiæ aduenient dispositiones & in aduentu formæ corrumpuntur; ita in processu scientifico, opiniones per probabilia media præcedunt demonstrationem, secundum quam introducitur scientia, & in aduentu scientiæ desinunt.*

Ad 5. Iam dictum est posse intellectum assen-

assentiri obiecto ex motiuo certo, & probabili coalescentibus in vnum motiuum euidentius. Addo, quod aliter non potest. Cum enim assentitur obiecto ex vtroque motiuo, assentitur meliori modo, quo potest; sed optimus, & euidentissimus modus est, si assentiatur ex vtroque, in quantum coalescunt in vnicum, vt explicatum est; ergo ità assentitur.

FINIS.



QVAE-

INDEX RERVM quæ in his quinque libris continentur.

A

Actio, Agens.

Anima

Anima. Animatum. Animal.

Argu-

Cado

C

Cadauer.

ria-

ris

Cor-

q.53

D.æmon

pri-

Di-

Diui-

Grauia, & leuia.

Gustus Gustabile.

H

Habitus.

Quod

Colo-

q.22.

Auge-

Quod

liter

cto

Ato-

Meri-

Medi.

Meteo-

N

Cur

Pene-

Plu-

Præ-

Quæ-

Q

Quidditas.

R

Rarefactio. Condensatio.

Cau-

Cor-

Sonus.

Somnus. Somnium.

Sophisticus syllogismus.

Spatium reale, & imaginarium.

Species.

spe-

Sta-

Sup-

Suppositio.

Suppositum. Suppositalitas.

De

Vbica-

Vbicatio.

Velocitas motus.

Venæ.

Venenum.

Venter.

Veritas. Falsitas.

Veritas Speculatiua, & practica.

vni-

Volun-

FINIS.

A. M. D. G.

